This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600002383M

35.

514.

CHRESTOMATHIA

HORATIANA

ET

P. VIRGILII MARONIS

BUCOLICA

EDITA

A

FRIDERICO GUILIELMO DOERING.

ALTONAE,
SUMPTIBUS I. F. HAMMERICHII.
MDCCCXXXV.

514.



2 14

PRAEFATIO.

Paucis expromam causas, quibus ad hanc Chrestomathiam concinnandam permotus et excitatus sim. Quod ad Horatii Odas attinet, istas quidem, quae neque a doctoribus, honestatis sensu percussis, publice explicari, neque a tironibus salva pudicitia privatim cognosci possint, ex hoc libello excludendas esse censui.

Haurietur igitur ex hoc Odarum Horatianarum delectu id, puto, commodi, ut tam magistris uno tenore a principio usque ad finem sine cura et circumspectione argumentorum ea, quae in Odis tractantur, explanare, quam tironibus puro et integro pectore Summi Poetae delicias privato haustu imbibere liceat.

Virgilii autem Bucolica recepi in hunc libellum ideo, quod illa, coniunctim vulgo cum omnibus Virgilii carminibus edita, eo pretio veneant, cui praestando tirones in re tenui nati impares sint.

Ex observationibus, quas adspersi, apparebit certe arctior, quam cum Horatio et Virgilio contraxi, familiaritas; de studio autem, quo vitiosis lectionibus, praecipue in Virgilii Eclogis, medicam manum admovere tentavi, benevole sentiant me doctiores.

De metris, quibus adstrinxit Horatius carmina lyrica, exstat doctrina, quae B. Sparrio debetur. Et haec est, ad quam, editioni Horatii maiori praemissam, lectores huius Chrestomathiae in notis amandavimus. Scripsi Gothae sub fine Maii MDCCCXXXV.

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM LIBER PRIMUS.

CARMEN I.
AD MAECENATEM.
METR. I.

Maecenas atavis edite regibus,
O et praesidium et dulce decus meum,
Sunt, quos curriculo pulverem Olympicum
Conlegisse iuvat, metaque fervidis
Evitata rotis palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos:
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus;
Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis verritur areis.
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens otium et oppidi

CARM. I.

Mira arte et insigni orationis venustate Horatius carmina sua lyrica Maecenati, viro, ut sibi amicissimo, ita apud Augustum potentissimo, rite dedicat.

v. 1. *atavis regibus*, gentis Cilniae (e qua ortus est Maecenas) maiores, Etruriae duces sive Lucumones puta, magnificentius vocantur *reges*.

v. 7. *mobilium* refer ad populi Romani, modo hoc, modo illud appetentis, inconstantiam.

v. 15. *Africus*, *der West-Süd-West-Wind*.

Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est, qui nec veteris pocula Massici
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
Multos castra iuvant, et lituo tubae
Permixtus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Iove frigido
Venator, tenerae coniugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis: me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quodsi me lyricis vatibus inseris,
Sublimi feriam sidera vertice.

CARMEN II. (III.)

AD VIRGILIUM.

METR. II.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera,

v. 28. *Marsus*, Marsicus, in saltuosa Marsorum regione.

v. 34. *Lesboum*, ab Alcaei et Sapphus patria, Lesbo, insula maris Aegaei.

CARM. II.

Expressit poeta in hoc carmine sensum amicitiae et curas animi eo ipso tempore, quo dimidium animae, Virgilius, Athenas profecturus, navem conscendebat.

v. 1. *Sic*, de elegante usu particulae *sic*, quae respondet fusis precibus et conditioni, qua precantes aliquid optant, confer Virg. Eclog. IX, 30. et X, 5. Tibull. I, 4. — Iunge et explica: *o navis*, quae Virgilium fidei tuae creditum reddere debes finibus Atticis, (*sic*) quod quidem ut fiat, opto, *ut te Diva potens* cett. *Diva potens Cypri*, Venus. — *fratres Helenae*, Dioscuri. — *lucida sidera*, *Iapyga*, *Iapyx*, *West-Nord-West-Wind*.

Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis praeter Iapyga,
Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium finibus Atticis,
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium meae.
Illi robur et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit praecipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyades, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriae
Maior, tollere seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui rectis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum et
Infames scopulos Acroceraunia?
Nequidquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem aetheria domo
Subductum macies et nova febrium

v. 15—16. *Quo non* cett. qui prae ceteris ventis summum pro arbitrio imperium exercet in mari Hadriatico.

v. 17. *Quem mort. tim. grad.* quam viam, qua itur ad inferos, expavit h. e. quod mortis genus expavit is, qui cett. Similiter v. 33. *leti gradum corripere*, pro: mortem accelerare. — *oculis rectis*, irretortis. — *Acroceraunia* (rectior lectio pro: *alta Ceraunia*), montes Epiri.

v. 22. *Dissociabili*, non sociando, pro: dissociato, h. e. disiuncto.

v. 27. *Iapeti genus*, Prometheus, filius Iapeti.

v. 30. *Nova febr. sch.* ignis enim

Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
Expertus vacuum Daedalus aëra
Pennis non homini datis;
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est:
Caelum ipsum petimus stultitia, neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iovem ponere fulmina.

CARMEN III. (IV.)

AD L. SEXTIUM.

METR. XII.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni,
Trahuntque siccas machinae carinas;
Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni,
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna,
Iunctaeque Nymphis Gratiae decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

usu facta sunt corpora molliora et morbis magis obnoxia.

v. 35. *Penn. non hom. d.*, alis naturae hominum non convenientibus.

v. 36. *Acheronta*, ad Cerberum inde abducendum.

v. 38. *Cael. ips. pet. stult.* ut gigantes.

CARM. III.

Inter medium dulcissimae voluptatis, quam ver creat et diffundit, fructum poeta L. Sextium de vitae brevitate et de subito mortis interventu cogitare iubet. Mirifice in hoc brevi carmine delectat imago veris vivis coloribus adumbrati.

v. 1. *Solvitur*, respice imprimis glaciem, quae, hiemali frigore adstricta, redeunte vere solis calore dissolvitur.

v. 2. *machinae*, phalangae, vectes, pali.

v. 7. *Alterno terr. quat. pede*, significanter pro: saltant, dum terra quatitur et tunditur.

v. 8. *ardens*, refer vel ad externam speciem fabrorum ferrariorum, qui inter labores igneis scintillis circumfusi *ardere* videntur, vel, quod magis placet, ad studium

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terrae quem ferunt solutae;
Nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agna, sive malit haedo.
Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres. O beate Sexti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Iam te premet nox fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis,
Nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuventus
Nunc omnis et mox virgines tepebunt.

CARMEN IV. (VI.)

AD AGRIPPAM.

METR. III.

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor, Maeonii carminis aliti,

intentius, quo *ardent* flagrantque fabri operi suo insudantes. — *urit*, accendit.

v. 10. *terrae solutae*, scilicet a frigore vel glacie per solis calorem; cf. v. 1.

v. 12. *agna*, sc. immolari; *immolari aliquid et aliqua re*, Liv. XLI, 14.

v. 16. *fabulaeque Manes*, et Manes, qui celebrantur fabulis, Manes fabulosi.

v. 17. *domus exilis*, ubi magna est rerum tenuitas et inopia. Hor. Epist. I, 6, 45. *Exilis domus est, ubi non et multa supersunt Et dominum fallunt.*

v. 18. *Nec regna vini sort. talis*, talorum enim iactu creabantur, qui convivia ad certas leges regerent.

CARM. IV.

Dum Horatius, ut poeta in rebus ludicris et amatoriis versans, delatas sibi partes poetae, qui res praeclare ab Agrippa gestas carmine epico celebraret, detrectat et a se avertit, Varium, ut poetam carminum epicorum tum laude et gloria florentissimum, commendat atque extollit. — *M. Vipsanius Agrippa*, dux fortissimus et celebratissimus, Augusti per eius filiam Iuliam gener, notus vel iis, qui primoribus labris attigerunt historiam Romanam.

v. 1. *Scrib. Var.* — *scribi alicui* pro vulgari: *scribi ab aliquo*.

v. 2. *Maeonii carm. aliti*, poetae epico, qualis fuit Homerus, alteri Homero. *Maeonii*, ab Homeri patria, Smyrna, Maeoniae sive Lydiae urbe. *aliti* pro: cygno, et *cygnus* ob dulcissimum eius cantum simpliciter passim pro: poeta; infr. IV, 2, 25. *cygnus Dircaeus.*

Quam rem cumque ferox navibus aut equis
Miles te duce gesserit.
Nos, Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulixei,
Nec saevam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia: dum pudor
Imbellisque lyrae Musa potens vetat
Laudes egregii Caesaris et tuas
Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit, aut pulvere Troio
Nigrum Merionen, aut ope Palladis
Tydiden superis parem?
Nos convivia, nos proelia virginum
Strictis in iuvenes unguibus acrium
Cantamus, vacui, sive quid urimur,
Non praeter solitum leves.

CARMEN V. (VII.)

AD MUNATIUM PLANCUM.

METR. XIII.

Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Epheson, bimarisve Corinthi

v. 3. Ad *quamcumque rem gesserit* supple: scribenti, vel, accommodate ad *aliti*, canenti. *navibus aut equis* pro vulgari: terra marique.

v. 7. *duplicis*, versuti (πολυτρόπου).

v. 8. *Pelopis domum*, fabulas tragicas, quarum gens Pelopis fuit feracissima.

v. 15. *Merionen*, aurigam Idomenei. *Tydiden*, Diomeden, Tydei filium.

v. 19. *vacui*, sive pectus nostrum est liberum ab amoris lusibus, *sive quid urimur*, non est liberum; ad *vacui* supplenda est particula *sive*, ut supr. Od. I, 3, 16. ad *tollere*.

CARM. V.

Cum Munatius Plancus, quem curae de praesente rerum publicarum statu cruciasse videntur, ad curarum pondus deponendum iter in regiones peregrinas facere constituisset, Horatius in hoc carmine Munatio existit auctor, ut, dimis-

Moenia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt, quibus unam opus est intactae Palladis arces
Carmine perpetuo celebrare,
Indeque decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicit equis Argos ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedaemon,
Nec tam Larissae percussit campus opimae,
Quam domus Albuneae resonantis,
Et praeceps Anio, ac Tiburni lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila caelo
Saepe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam vitaeque labores
Molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit

sis ex animo laudatissimarum urbium Graecarum amoenitatibus et opportunitatibus, secedat in agrum Tiburtinum ibique inter dulcia vini pocula curas abigat.

v. 3. *Baccho*, Bacchi natali et educatione; *Apolline*, Apollinis templo et oraculo.

v. 7. *Indeque*, et proinde ob hunc Minervae divinitatis honorem. — *olivam*, Minervae sacram.

v. 10. *patiens*, sc. laborum, quibus exercebantur et obdurabantur Lacedaemonii.

v. 11. *percussit*. *percutere animum* dicitur res aliqua, quae subita vi in intimos animi recessus penetrat. — *Larissa*, urbs Thessaliae ad fluvium Peneum.

v. 12. *Albun*. *Albunea*, fons, in quo eiusdem nominis Nympha domum vel sedem suam habebat h. e. habitabat.

v. 13. *Tiburni*. Tiburnus cum duobus fratribus, Catillo et Cora, Tiburis conditor fuisse traditur. Virg. Aen. VII, 671—2.

v. 14. *Mobilibus pomaria rivis*, ubi *lympha fugax* (ut loquitur Hor. infr. Od. II, 3, 11.) *laborat trepidare rivo obliquo*.

v. 15. *Albus Notus*, caelum album h. e. serenum reducens, ut inf. Od. III, 27, 19. *Iapyx albus*, et sic venti *nigri*, caelum nigro colore obducentes.

v. 16. *neque part. imbr. perp.* similiter infra Od. II, 9, 1. *Non semper imbres nubibus hispidos Manant in agros.*

Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
Quum fugeret, tamen uda Lyaeo
Tempora populea fertur vinxisse corona,
Sic tristes adfatus amicos:
Quo nos cumque feret melior Fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque.
Nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro;
Certus enim promisit Apollo
Ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes peioraque passi
Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus aequor.

CARMEN VI. (X.)

AD MERCURIUM.

METR. VI.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus et decorae
More palaestrae,
Te canam, magni Iovis et Deorum
Nuntium curvaeque lyrae parentem,

v. 21. *Teucer Salamina* cett. Teucer, quamvis a patre Telamone, rege Salaminis, cum sine fratre Aiace ex bello Troiano redux factus esset, expulsus erat, tamen de rebus futuris non desperavit, laetus et hilaris cum amicis exsiccavit vini pocula.

v. 29. *ambiguam fore,* obscuratum iri.

CARM. VI.

Poeta in hoc brevi hymno Mercurii virtutes, facultates, artes et, quae ille apud Iovem Deosque obiit, ministeria complexus est.

v. 1. *Atlantis*, nam *Maia*, una Pleiadum, e qua natus est Mercurius, Atlantis fuit filia. Dicitur Mercurius *nepos facundus*, quia feros et incultos homines ad vitam cultiorem traducturo non deesse debebat *facundia.*

v. 3. *voce*, praeceptis et disciplina, *catus*, acumine et solertia praestans.

v. 4. *more dec. pal.* — *palaestra*, locus, ubi solemni *more* luctando, pugnando, currendo cett. exercebantur corpora, dicitur *decora*, quia palaestricis exercitationibus decor quidam conciliabatur corporibus.

v. 6. *curv. lyr. par.*, vid. Hom.

Callidum, quicquid placuit, iocoso
Condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.
Quin et Atridas, duce te, superbos
Ilio dives Priamus relicto
Thessalosque ignes et iniqua Troiae
Castra fefellit.
Tu pias laetis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis Deorum
Gratus et imis.

CARMEN VII. (XII.)

AD AUGUSTUM.

METR. VI.

Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?

H. in Mercur. 40 seqq. et Lucian. D. D. VII.

v. 7—8. *callidum condere*, te, qui calles condere; *callidus* cum infinitivo, ut infr. Od. III, 11, 3—4. *Tuque, testudo, resonare septem Callida nervis.*

v. 9. *nisi reddidisses*, pro: *redderes*, quia post Apollinis minas Mercurius boves clam amotas vere *reddidit*. — *viduus Apollo*, cum Apollo pharetra se orbatum vidisset.

v. 13—16. *Quin et Atridas* cett. Scilicet Mercurius regem Priamum, in castra Graecorum, ut ab Achille caesi Hectoris corpus sibi sepeliendum expeteret, profecturum, nube, ne ab Atridis conspici posset, obtectum ad Achillem deduxit.

v. 17—20. Mercurius denique, qui apud inferos pias animas in laetas sedes (Elysium) compellere fingitur, ut deus ψυχοπομπὸς, ψυχαγωγὸς laudatur; vid. *Hemsterhus.* ad Lucian. Contempl. c. 1.

CARM. VII.

Dum poeta incalescit spiritu poetico et sublimioris carminis argumentum dispicit, ecce! apparet primum Iupiter, deinde alii dii et heroes, tum populi Romani principes, denique Augustus, quem omnium mortalium primum facit.

v. 1. *acri tibia*, tibiae soni sunt

Quem Deum? cuius recinet iocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidove in Haemo?
Unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus celeresque ventos,
Blandum et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam solitis Parentis
Laudibus? qui res hominum ac Deorum,
Qui mare ac terras variisque mundum
Temperat horis;
Unde nil maius generatur ipso,
Nec viget quidquam simile aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.
Proeliis audax, neque te silebo,
Liber, et saevis inimica Virgo
Belluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.
Dicam et Alciden, puerosque Ledae,
Hunc equis, illum superare pugnis

acres, h. e. acuti (*scharf, hochtönend*).

v. 4. *iocosa imago*, Echo, repercussis vocibus iocans quasi cum clamantibus; alias Echo plenius dicitur *vocis* vel *montis* imago.

v. 7. *temere*, ob cupiditatem audiendi divina Orphei carmina accurrebant arbores *temere* h. e. promiscue, confuso ordine.

v. 11—12. *Blandum et ducere*, Graece (*αἰμύλιον ἀγάγειν*) pro: et blande ducentem (accientem).

v. 14. *solit. Par. laudibus?* solebant enim poetae Iovem ante omnes alios deos deasque ut deorum primum et parentem atque moderatorem rerum omnium appellare et eius laudes carminibus suis celebrare. Virg. Eclog. III, 59. *Ab Iove principium.*

v. 19. *Proximos illi tamen* cett., proxime tamen ad divinam Iovis maiestatem accedit Minerva.

v. 23 sqq. *sagitta certa*, non aberrante a scopo; sic *sagitta certa* apud

Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor,
Concidunt venti fugiuntque nubes,
Et minax, nam sic voluere, ponto
Unda recumbit.
Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile letum.
Regulum, et Scauros, animaeque magnae
Prodigum Paullum, superante Poeno,
Gratus insigni referam Camena,
Fabriciumque.
Hunc, et incomtis Curium capillis,
Utilem bello tulit, et Camillum,
Saeva paupertas et avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit, occulto velut arbor aevo,
Fama Marcelli: micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Catull. LXVIII, 113. et *hasta certa* apud Virgil. Aeneid. XI, 767. — *Hunc equis*, Castorem, *illum* (Pollucem) *pugnis*, pugilatu.

v. 28. *alba stella*, supr. 3, 2. *fratres Helenae, lucida sidera.*

v. 37. *Scauros*, e gente Aemilia, rerum gestarum gloria viros nobilissimos. — *animae magnae Prodigum Paullum*, sensu nobilissimo Aemilius Paullus dicitur *animae magnae prodigus;* nam sicut prodigi pecuniam perdunt atque profundunt, ita Paullus ad vitam pro patria profundendam paratus erat. Sic sentit quoque apud Virgil. Aen. IX, 205. Euryalus: *Est hic, est animus lucis contemtor, et istum Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.*

v. 41. *incomt. capill.* capillus comtus et calamistratus pertinebat ad externum corporis cultum et elegantiam, quam respuebat antiquus mos et virorum severitas.

v. 45 — 48. *Crescit* cett. Sensus: Fama M. Claudii Marcelli (qui quinquies consul in bello Punico secundo floruit) velut arbor, (*occulto aevo*) sensim sensimque temporis cursu sese extollens, crescit per iuvenem Marcellum (Octaviae,

Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data, tu secundo
Caesare regnes.
Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho,
Sive subiectos Orientis orae
Seras et Indos,
Te minor latum reget aequus orbem:
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

CARMEN VIII. (XV.)

NEREI VATICINIUM DE EXCIDIO TROIAE.

METR. III.

Pastor quum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata: Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,

Augusti sororis, filium et Iuliae, Augusti filiae, coniugem), qui, pro novo sidere ex gente Iulia exorto habendus, velut luna inter stellas minores micat.

v. 53—60. *Ille, seu* cett. Admirare orationis magnificentiam et ornatum, quo poeta expressit sententiam hanc: Augustus, Iove inferior, remotissimis populis perdomitis in terra, at Iupiter, ut deus supremus, in caelo regnat.

CARM. VIII.

Nereus, cum Paridem per mare Aegaeum cum rapta Helena fugientem conspexisset, fata hunc raptum secutura canit.

v. 1. *Pastor*, Paris, inter pastores in monte Ida educatus. — *traheret*, sequitur poeta eos, qui Helenam vi a Paride abductam esse tradunt.

v. 2. *Idaeis*, in monte Ida pinifero contextis.

v. 3. *otio*, ut audiretur vaticinium; sed hoc otium fuit *ingratum* Paridi, tristissimum vaticinium audienti; nisi malis *ingratum* referre ad ventos, qui malunt furere et strepitum excitare, quam silere vel quiescere.

v. 4. *fera*, immitia, horrenda, terribilia. III, 29, 40. *fera diluvies*.

v. 5. *Mala avi*, infausto omine.

Coniurata tuas rumpere nuptias
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta moves funera Dardanae
Genti! Iam galeam Pallas et aegida
Currusque et rabiem parat.
Nequidquam, Veneris praesidio ferox,
Pectes caesariem, grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides;
Nequidquam thalamo graves
Hastas et calami spicula Gnosii
Vitabis strepitumque et celerem sequi
Aiacem: tamen, heu, serus adulteros
Crines pulvere collines.
Non Laertiaden, exitium tuae
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Urguent impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus sciens
Pugnae, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionem quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,

v. 7. *coniurata*, active: quae coniuravit.

v. 9. *Eheu, quantus* cett. res futurae tanquam praesentes obversantur vatum oculis.

v. 10. *Genti Dardanae*, Troianae, a rege Dardano, Iovis et Electrae filio.

v. 15. *Imbelli cithara*, ut supr. Od. 6, 10. *lyra imbellis* non gravia sed levia tractans; lyra iocosa *carmina divides feminis*, modo huic modo alii feminae canes carmina; similiter *oscula dividere* infr. Od. I, 36, 6.

v. 17. *Gnosii*, Cretici; fuit enim *Gnosos* urbs Cretae, ubi nascebatur canna, e qua sagittae conficiebantur.

v. 27. *Merionem nosces*, qualis vel quam fortis sit Meriones, experientia doceberis; nos similiter in patrio sermone dicere solemus: *einen kennen lernen.*

v. 30. *graminis immemor*, cervus, simulac procul conspexit lu-

Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuae.
Iracunda diem proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei:
Post certas hiemes uret Achaius
Ignis Pergameas domos.

CARMEN IX. (XVIII.)

AD VARUM.

METR. V.

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis et moenia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat? 5
Quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus?
At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero

pum, non amplius de graminis cibo cogitat, sed statim in fugam coniicitur, et sic apud Virgil. Eclog. VIII, 2. iuvenca, quae, ut audiat dulcia pastorum, Damonis et Alphesiboei, carmina, vesci gramine desinit, *herbarum immemor* dicitur.

CARM. IX.

Horatium vini proventum et potum ad dulcissima vitae munera retulisse, ex hoc quoque carmine satis apparet. Suadet enim Varo, ut prae ceteris omnibus arboribus vitem serat, dum modicum vini potum ut rem saluberrimam laudat et commendat, immodicum vero et nimium ut rem maxime fugiendam damnat et, exemplo proposito, ab eo avocat.

v. 1. *sacra*, Baccho.

v. 2. *Catili*, *Catillus* sive *Catilus* cum duobus fratribus *Cora et Tiburno* conditor Tiburis fuisse memoratur.

v. 3. *siccis. sicci*, vino abstinentes, sobrii, opponuntur vino madentibus vel uvidis.

v. 8. *Centaur. mon. c. Lapith. rix. s. m. deb.* de pugna inter Centauros et Lapithas, super mero in nuptiis Pirithoi exorta, vid. Ovid. Metam. XII, 219 seqq. — *monet Evius* (Bacchus, dictus ita a bacchantium acclamatione *Evoe* [εὐοῖ]) *non levis*, gravis deus populis barbaris *Sithoniis* (Thracibus), dum illi *avidi libidinum* (dediti exercendis libidinibus) *fas. atque nefas exiguo fine discernunt* (inter honesta et inhonesta nihil fere faciunt discriminis). *Bassareu*, Bacche, a

Debellata; monet Sithoniis non levis Evius,
Quum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam, nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quae subsequitur caecus Amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem,
Arcanique Fides prodiga, perlucidior vitro.

CARMEN X. (XX.)

AD MAECENATEM.

METR. VI.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,

βασσάρα, vulpis, quia Bacchae sese abtegere solebant vulpis pellibus, unde illae Βασσαρίδες, et Bacchus dictus est Βάσσαρος. — *candide*, refer ad splendentem Bacchi pulchritudinem.

v. 12. *Invitum quatiam*, praeter modum et voluntatem tuam sacra tua (*quatiam*) commovebo et agitabo: Cum initia caperent sacra Bacchica, illa *frondibus obsita* circumferebantur. Virg. Aen. IV, 301. *Bacchatur* (Dido), *qualis commotis excita sacris Thyias*.

v. 13. *Sub divum rapiam*, impia in lucem publicam protrahar, scelesta vulgabo. Scilicet se fugere velle ait omnia, quibus Bacchi sacra profanentur. — *Berecyntio*, Phrygio, a Berecynto, monte Phrygiae.

v. 15. *vacuum*, sc. rerum doctarum et utilium scientia.

CARM. X.

Cogita Horatium hos paucos versiculos subito scriptos illeviasse schedulae, qua ad modicam compotationem Maecenatem vocaret.

v. 1. *Vile Sabinum*, vinum Sabinum non ad praestantiora, sed ad minoris pretii vina (quae nos vocamus: *geringe Weine*) pertinuisse, colligi quoque potest ex hoc loco, ubi vinum Sabinum vocatur *vile*.

v. 2. *Cantharis*, ansatum poculi genus, ut fere *diota*, Od. I, 9, 8. — *Graeca*, designatur terra, unde petebantur vel ubi conficiebantur praestantiores lagenae.

v. 3. *levi*, oblevi pice; hinc infr. Od. III, 8, 10. *corticem adstrictum pice demovere*. — *datus in theatro cum* cett. Addit autem Horatius ad commendandam vini Sabini testam aliquid, quod, in quanto pretio et

Clare Maecenas eques, ut paterni
Fluminis ripae, simul et iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Caecubam et praelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites neque Formiani
Pocula colles.

CARMEN XI. (XXII.)

AD ARISTIUM FUSCUM.

METR. VI.

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis neque arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra:

honore apud populum Romanum viguerit Maecenas, pro testimonio haberi potest luculentissimo; ait scilicet Horatius se dictam Sabini vini testam in cella seposuisse insigni illo die, quo Maecenas, cum post gravem morbum primum ingrederetur theatrum, a populo exceptus sit plausibus, impense in locis remotioribus resonantibus. — *iocosa montis imago*, Echo. cf. supr. Od. I, 12, 4.

v. 10. *mea nec Falernae*, apud me neque vinum Falernum neque Formianum temperatur in poculis, scil. aqua admixta, pro vulgari: apud me neque vinum Falernum neque Formianum apponitur.

CARM. XI.

Poeta gravissimam illam sententiam „vitae integritatem et puritatem tanquam *murum aheneum* (cf. Hor. Epist. I, 1, 60 sq.) nos munire et defendere contra mala et pericula nobis imminentia," serio quidem proponit, sed eandem iocose suo ipsius exemplo probat et confirmat. Narrat enim lupum in silva sibi obvium se, ut hominem purum atque integrum, inermem fugisse. Plenus igitur fiduciae, *integro vitae scelerisque puro* nihil omnino in toto terrarum orbe timendum esse, dulcissimum hoc carmen finit. — *Aristius Fuscus*, grammaticus, orator, poeta, quem Horatius, ut ipse ait infra Epist. I, 10, 4., *fraterno animo* complexus est.

v. 2. *Mauris*. Mauri, populus barbarus in Africa, ad saevas bestias occidendas non carere poterant iaculis.

Sive per Syrtes iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem;
Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iupiter urget;
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

v. 5. *per Syrt. aestuosas.* de duabus Syrtibus, maiore et minore, in mari prope Africam, locis arenosis, vadosis, navigationi infestissimis, locus classicus apud Sallust. Iugurth. cap. 80.

v. 6. *inhospitalem, domibus,* ut v. 22. dicitur, *negatum.*

v. 8. *Hydaspes*, Indiae fluvius, *fabulosus*, quia, ut videtur, multae fabulae de hoc fluvio circumferebantur.

v. 11. *expeditis.* eodem redit altera lectio: *expeditus.*

v. 14. *Daunias*, Apulia.

v. 15. *Iubae tellus*, Mauretania, ubi regnavit Iuba.

v. 17. *pigris.* similiter *hiems iners* infr. Od. IV, 7, 12., ubi terra torpet nec fruges profert.

20. *malus Iupiter*, iniquus, pluvius, frigidus; supr. Od. I, 1, 25. *sub Iove frigido.*

CARMEN XII. (XXIV.)

AD VIRGILIUM.

METR. III.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam cari capitis? Praecipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam Pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus sopor
Urget? cui Pudor et Iustitiae soror,
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum inveniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit,
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius, heu! non ita creditum
Poscis Quinctilium Deos.
Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanae redeat sanguis imagini,
Quam virga semel horrida,
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.

CARM. XII.

Cum Virgilius acerbissimo, quem de morte Quinctilii susceperat, dolori non modum poneret, sed se cruciaret miserrime: Horatius eum in hoc carmine cogitare iubet: semel mortuos nulla omnino re, nullo expiationis genere, nullis precibus, imo ne blandissimo quidem ipsius Orphei cantu in vitam revocari posse, et proinde patienter ferendum esse, quod mutari nequeat. Mortuus autem Quinctilius non modestiae, honestatis et iustitiae tantum, sed etiam doctrinae laude conspicuus fuisse videtur; nam infra in Epist. ad Pis. Horatius scripta recensenda et corrigenda Quinctilio tradi iubet.

v. 2. *praecipe*, praei, praecine.

v. 3. *liquidam vocem*, claram, puram, cui nihil asperi et duri, quod aures offendat, admixtum est.

v. 11. *frustra pius*, qui frustra pia vota nuncupat; *non ita creditum*, non sic, non ea mente a te dilo creditum, ut mortem obiret, vel morti daretur.

v. 15. *imagini vanae*, inani, non corporeae, sed corporis speciem tantum prae se ferenti.

v. 16. de Mercurio animas virga compellente vid. supr. ad Od. I, 10, 17.

Durum! sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

CARMEN XIII. (XXVI.)

DE AELIO LAMIA.

METR. VIII.

Musis amicus tristitiam et metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, quis sub Arcto
Rex gelidae metuatur orae,
Quid Teridatem terreat, unice
Securus. O, quae fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimpleï dulcis; nil sine te mei
Possunt honores: hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro,
Teque tuasque decet sorores.

CARM. XIII.

Ad viros, quos tam ob gentis, e qua orti fuerunt, nobilitatem, quam ob virtutum et doctrinae gloriam quam maxime venerabatur Horatius, pertinebat imprimis *Aelius Lamia*; cf. infr. Od. III, 17. Itaque ad laudes Lamiae celebrandas carmen compositurus, fugatis ex animo curis omnibus, Musam, quae eius pectus spiritu poetico impleat et agitet, in partes vocat. — Non sine voluptate memini me aliquando audire hoc carmen ad numeros musicos decantatum.

v. 1. *Musis amicus* (φίλος Μοίσαις, Theocr. VII, 95), Musis deditus, ego Musarum cultor et alumnus, ego qui Musis operor.

v. 2. *tradam portare*, Graece (δώσω φέρειν) pro: tradam portandos. — *protervis ventis*. similiter apud Virg. Aen. I, 536. *procaces Austri*.

v. 4. *Rex gelidae orae*, rex Scythicus. *unice securus*, prae aliis omnibus expers plane eorum, quae terrent.

v. 7. 8. per *flores* et *coronam* intellige: carmen. *Pimpleis* vocatur Musa a *Pimpla* vel *Pimplea*, fonte Thraciae, Musis sacro.

v. 10. *mei honores*, mea munera h. e. carmina mea, honori Lamiae dicata. — *novis*, lyricis.

v. 11. *Lesbio*, cf. supr. Od. I, 1, 34.

CARMEN XIV. (XXVIII.)

ARCHYTAS.

METR. XIII.

Te maris et terrae numeroque carentis arenae
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera, nec quidquam tibi prodest
Aërias tentasse domos animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras,

CARM. XIV.

Archytas, Tarentinus, philosophus Pythagoricus, praestantissimus astrologus et geometra (vid. Cic. Tuscul. V, 22. et de senect. 12.), naufragio periisse creditur. Horatius igitur, ut memoriam viri, qui aeternam astrologiae et geometriae scientia gloriam sibi comparasset, carmine celebraret et ad posteros propagaret, fingit nautam quendam in Archytae corpus mari eiectum incidisse, et verbis, quae memorat Horatius, Archytam allocutum esse. (Unde sciverit nauta ille eiectum in litus corpus Archytae corpus esse, non additur. Fortasse ille unus eorum fuit, qui in communi naufragio servatus fuerat idemque antea, navigationis socius, in Archytae notitiam venerat.) Nauta primum ait se assequi non posse, quomodo vir tantus, quantus Archytas, his terris eripi potuerit. Respondet Archytas summos quosque viros, quorum nonnullos laudat, neutiquam mortem effugere potuisse. Sub fine huius colloquii Archytas rogat nautam, ut inhumato corpori vel particula tantum arenae iniecta iura solvat.

Qui hanc Oden legent, iis auctor sum, ut simul legant *Commentationem*, plenam doctrinae et elegantiae, quam de Horat. Od. I, 28. et de *Archyta* scripsit Vir tam munere quam amicitia mecum coniunctissimus, *Fridericus Kriesius. Gothae* MDCCCXXXII.

v. 1 seqq. Nauta primum a v. 1—7. alloquitur Archytae Umbram, quae usque ad finem Carminis respondet.

v. 2. *cohibent.* significanter *cohiberi* dicuntur, qui in loco parvo et angusto, tanquam in carcere aliquo, retinentur.

v. 3. *litus Matinum*, de ora Calabriae occidentalis a Calabriae promontorio *Matino*.

v. 5. *Aërias tentasse domos*, in coeli stellis numerandis, metiendis, explorandis cett. operam posuisse.

v. 7—16. *Occidit et Pelopis gen.* Oratio cohaeret sic: noli, o nauta, mirari me mortuum esse; moriendi necessitas manet omnes ac singulos, tam summo, quam infimo

Et Iovis arcanis Minos admissus, habentque
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demissum, quamvis, clypeo Troiana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos atque cutem Morti concesserat atrae,
Iudice te non sordidus auctor
Naturae verique. Sed omnes una manet nox,
Et calcanda semel via leti.
Dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
Exitio est avidum mare nautis:
Mixta senum ac iuvenum densentur funera; nullum
Saeva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato

loco natos. Sic morti succubuit Pelopis pater, *Tantalus* (rex Lydiae, qui, ut homo ditissimus, cum diis adeo convivatus est), et *Tithonus* (Laomedontis, regis Troiani vel frater, vel filius, qui ab Aurora, insigni eius pulchritudine capta, (*remotus in auras*) raptus et in coelum sublatus est), et *Minos*, filius Iovis et Europae, rex Cretae, ob sapientiam et iustitiam Iovis consiliis adhibitus et apud inferos iudex constitutus, et *Pythagoras*, qui se bis vixisse et bis mortuum esse professus est, primum belli Troiani tempore ut Panthoi filium et militem, cui nomen fuerit *Euphorbus*, quod clypeo in Iunonis templo refixo, cui nomen *Euphorbi* inscriptum fuerit, probatum est. Particula *quamvis* hunc locum aperte turbat et sublimem eius sententiam plane tollit. Hinc iam olim in Horat. Edit. Minore pro *quamvis* legendum fortasse esse *quoniam is* coniectavi. Sed nunc pro *quamvis* malim *namque is*, quod propius ad corruptae lectionis *quamvis* litteras accedit et orationi poeticae accommodatius est, quam *quoniam is*. Pythagoras non *omnis* (ut cum Horatio Od. III, 30, 6. loquar) *mortuus* erat, corporis exuvias tantum, nervos et cutem morti tradiderat, anima manebat, quae in novum corpus migrare posset.

v. 15. *Sed omnes una manet nox*, cf. in hanc sententiam Od. I, 4, 16. Od. II, 3, 21. et 14, 11. Propert. III, 20, 21.

v. 18. *mare avidum*, omnia absorbens.

v. 20. *caput Proserp.* Proserpina enim morti destinatis, ut eos tanquam victimas diis inferis consecraret, crines abscidisse fingitur.

v. 22. *inhumato*. inhumatorum

Cogor relictos. Namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos volucremque currum,
Quo bruta tellus et vaga flumina,
Quo Styx et invisi horrida Taenari
Sedes Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, et insignem attenuat Deus,
Obscura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hic posuisse gaudet.

CARMEN XVII. (XXXV.)

AD FORTUNAM.

METR. VIII.

O Diva, gratum quae regis Antium,
Praesens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos,

v. 7. *plerumque*, alias, alio tempore.

v. 10. *Taenarus*, specus in Laconica ad Taenarum, unde ad Tartarum descendi posse erat opinio; iam pro ipso Tartaro.

v. 11. *Atlanteus finis*, de ultimo terrarum fine occidentali.

v. 14. *Hinc*, de capite unius, *hic*, in capite alterius; modo, modo. — Per *apicem* intellige tiaram vel pileum cum apice eminente, regum barbarorum insigne.

v. 16. *sustulit*, tollere solet.

CARM. XVII.

Quemadmodum in terras remotas profecturos bonis votis et omnibus prosequi solemus, ita Horatius Augusto, cum ille in eo esset, ut in bellum contra Britannos proficisceretur, rei susceptae eventum apprecatus est in hoc carmine prosperrimum. Iam vero cum summa quaeque saepissime pendeant a Fortunae arbitrio et potentia, poeta arrepta hac occasione descriptionem Fortunae potentiae dedit, qua nihil cogitari potest sublimius, nihil splendidius et ornatius.

v. 1. *Antium*, oppidum Latii, *gratum*, ob cultum, quo ibi in nobili templo fruebatur Fortuna.

v. 2. *Praesens*, quae praesens quasi statim tuam exerces potentiam, potens.

Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus; te dominam aequoris,
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythae
Urbesque gentesque et Latium ferox
Regumque matres barbarorum et
Purpurei metuunt tyranni,
Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma cessantes ad arma
Concitet imperiumque frangat.
Te semper anteit saeva Necessitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans aëna, nec severus
Uncus abest liquidumque plumbum.
Te Spes et albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Utcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At volgus infidum et meretrix retro
Periura cedit; diffugiunt cadis
Cum faece siccatis amici
Ferre iugum pariter dolosi.

v. 5. *ambit.* inest voci *ambit* notio verecundiae et piae venerationis.

v. 6. *dominam aequoris.* in mari quoque dominatur Fortuna; dum modo placido, modo implacido ore adest navigantibus.

v. 7. *lacessit*, sc. ad iram, qua tumet mare; h. e. ad excitandas tempestates.

v. 9. *profugi.* Nomades, non certas et fixas, sed incertas et mobiles sedes vel aediculas habentes, ex agris, quos adhuc colherant, profugere et cum aliis mutare solebant.

v. 12. *Purpurei*, purpura splendentes.

v. 13. *Iniur. ne p. pr. st. c.* ne violenter subruas vel subvertas columnam, qua innititur imperium, ne desinat stare status imperii.

v. 19. *Uncus severus*, qui rem, cui iniectus est, non remittit, *severe* h. e. pertinaciter ei inhaeret.

v. 22. *abnegat* sc. se.

v. 28. *pariter*, pari et communi studio et labore. — *dolosi ferre*, dolo se subducentes inopiae simul ferendae.

Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil adlabores
Sedulus curae; neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arta
Vite bibentem.

bet, modestiae et simplicitatis studiosum se probat.

v. 1. *Persicos odi* cett. Magnus apud Persas imprimis in conviviorum apparatu conspiciebatur splendor et magnificentia. vid. Athen. IV, 10—12. Val. Max. IX, 1. Aelian. Var. Hist. XIV, 34.

v. 2. *nexae phil. coronae.* nectendis scilicet coronis pro filis adhibebatur *philyra*, nos: *Lindenbast.*

v. 4. *moretur.* rosae, quae serius allis vel post alias demum florent, eleganter *morari*, vel *moras facere*, pro: sero florere, dicuntur.

v. 6. *sedulus curae*, qui sedulo studio me pulchre vestiendum et ornandum curas.

v. 8. *arta vite*, umbraculo arcte ex vitibus contexto.

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM LIBER SECUNDUS.

CARMEN I. (I.)
AD ASINIUM POLLIONEM.
METR. VIII.

Motum ex Metello consule civicum
Bellique causas et vitia et modos,

CARM. I.

C. Asinius Pollio, consul, poeta tragicus, historiarum scriptor, orator, intimus Horatii et Virgilii amicus (copiose et docte de eo egit *H. Vossius* ad Virgil. Eclog. IV.), *bella civilia* in singulari libello enarraturus ingentem de hac re susceptа apud omnes exspectationem excitaverat. Horatius igitur, qui iam nunc summam voluptatem ex promisso Pollionis opere hauriendam animo praecipiebat, iam nunc terribiles bellorum civilium imagines vivis coloribus descriptas oculis conspicere sibi videbatur, impellere et permovere Pollionem in hoc carmine studet, ut coeptum opus strenue profliget et eius immortali praestantia nomen suum aeternitati consecret.

Ludumque Fortunae gravesque
Principum amicitias et arma,
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosae plenum opus aleae,
Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paullum severae Musa tragoediae
Desit theatris; mox, ubi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne moestis praesidium reis,
Et consulenti, Pollio, curiae,
Cui laurus aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Iam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures; iam litui strepunt;
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos equitumque vultus.

v. 1—4. *motum civicum.* bellorum civilium originem repetiisse videtur Pollio ab eo anno, quo a Caesare, Pompeio et Crasso iuncta est contra rempublicam societas, Caecilio *Metello* Celere et Lucio Afranio Css. U. C. DCXCIV.

v. 5. *uncta*, polluta, maculata. infr. Epod. V, 19. *ova turpis ranae sanguine uncta.*

v. 9—12. *Paullum severae* cett. oratio splendidissima pro vulgari: nunc quidem sepone tragoediarum scribendarum studium; at si civilium bellorum historiam, quam condis, ad finem perduxeris, tum de integro operam pone in componendis tragoediis. — *Cecropio cothurno*, Attico; ad scriptores tragoediarum *Atticos* referuntur *Thespis*, *Aeschylus*, *Sophocles*, *Euripides*. — *cothurnus*, calceamenti genus, altiore quodam fulcro vel additamento instructum, quo personae in scenis incedentes altiorem vel grandiorem staturam ementiebantur.

v. 16. *Dalmatico triumpho.* vid. Dio XLVIII. 41. Appian. de B. C. V. 75.

v. 17 seqq. *Iam nunc* cett. Maxima poetarum et historiarum scriptorum ars perspicitur in eo, si ea, quae absunt vel futura sunt, ita describuntur, ut vere adesse, auribus percipi et oculis conspici videantur. Sic supra Od. I, 15, 9 sqq. de futuro bello Troiano: *Eheu! quantus equis, quantus adest viris Sudor* cett.

Audire magnos iam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos,
Et cuncta terrarum subacta
Praeter atrocem animum Catonis.
Iuno et Deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes
Retulit inferias Iugurthae.
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurges, aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae
Non decoloravere caedes?
Quae caret ora cruore nostro?
Sed ne, relictis, Musa procax, iocis,
Ceae retractes munera Naeniae,
Mecum Dionaeo sub antro
Quaere modos leviore plectro.

v. 22. *sordidos*, significanter pro: obtectos, conspersos; eiusmodi vero *sordes* ornat et *decorat*.

v. 24. *atr. an. Cat.* refer *atrox* ad fortem animum, quo Cato maluit manum sibi inferre Uticae, quam *tyranni vultum adspicere*. Cic. de Offic. I, 31. Vell. II, 49.

v. 25 — 28. *impotens* iam dicitur, qui non pollet effectum dare, quod effectum dare vult; dii igitur, qui inulti cedere debuerant ex Africa, nunc victorum nepotes tanquam piacula Iugurthae et ceterorum manibus obtulerunt, h. e. avorum poenas a nepotibus repetierunt.

v. 31. *Medis*, Parthis.

v. 34. *Dauniae caedes*, sanguis, qui fluxit in Daunia sive Apulia. Fuit autem *Daunia* in laude virtutis bellicae, unde illa supra Od. I, 22, 13. *Daunias militaris*.

v. 37 — 40. *Sed ne* cett. sed ne tibi in mentem veniat. Musa protervior, missis lusibus de integro canere velle *naenias*, carmina flebilia (θρήνους), qualia cecinit Simonides Ceus (ex insula Cea oriundus). *Quaere mecum* cett. Catullus XXXVIII. carmina in re admodum tristi versantia sive lamentabilia vocat *lacrimas Simonideas*.

v. 39. *Dionaeo antro*, Dionae h. e. Veneri sacro.

CARMEN II. (II.)

AD CRISPUM SALLUSTIUM.

METR. VI.

Nullus argento color est avaris
Abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeius aevo
Notus in fratres animi paterni;
Illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas, et uterque Poenus
Serviat uni.

CARM. II.

Poeta *Crispum Sallustium* in hoc carmine celebrat ut virum, qui sapienter usum fructumque caperet ex opibus, quas ille possidebat, splendidissimis. Sub carminis fine gravissimam sententiam, „unice felices et beatos habendos esse eos, qui ingentes auri acervos aequo animo et recto oculo adspicere possint," philosophica auctoritate repetit et commendat. — Ceterum Crispus Sallustius, clarissimi historiarum scriptoris ex sorore nepos, inter alia divitias suas collocavit in exstruendis hortis nobilissimis, quos sub *hortorum Sallustianorum* nomine possiderunt postea imperatores.

v. 1—4. *Nullus argento* cett. Sensus: argentum, ab avaris hominibus sub terris abditum, nihil coloris h. e. splendoris habet, o tu Crispe Sallusti, qui nihil curas argentum (pecuniam) in laminas cusum, nisi illud usu temperato inter homines splendorem suum ostendat. — *avaris* in dativo accipio pro: ab avaris. — *lamnae* contentim pro pecunia.

v. 5—8. *Vivet extento Proc. aevo* cett. itaque meritis laudibus ornantur et celebrantur expertes avaritiae, ut Proculeius, cuius memoria ob paternum erga fratres animum semper vigebit apud posteros. Scilicet Proculeius in suos fratres omnibus bonis in bellis civilibus exutos tam liberali animo fuisse dicitur, ut de integro aequis portionibus suum cum fratribus partiretur patrimonium. — *metuente solvi*, nescio solvi. *metuere*, ut φυλάττεσθαι apud Graecos, eleganter inservit periphrasi particulae *non* vel *nunquam*. Virg. Georg. I, 246. *Arctos, Oceani metuentes aequore tingi.*

v. 10. *Lybiam*, Africam.

v. 11. *remotis Gadibus*. *Ga-*

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis et aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraatem
Dissidens plebi numero beatorum
Eximit Virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, regnum et diadema tutum
Deferens uni propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

CARMEN III. (III.)

AD DELLIUM.

METR. VIII.

Aequam memento rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture Delli,
Seu moestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies

des, insula prope fretum Gaditanum, pro: Hispania, Hesperia. — *uterque Poenus*, Afer et Hispanus.

v. 17. *Cyri solio*, imperio Persico.

v. 22. *propriam laurum*, perennem; *proprium* apud optimos quosque scriptores pro eo, quod tanquam proprium manet et durat, nonnunquam pro: aeternum. cf. infr. Sat. II, 6, 5.

v. 23. *oculo irretorto*, supr. Od. I, 3, 18. *oculis rectis*.

CARM. III.

Hoc carmen est unum eorum, in quo poeta non Dellio tantum (vid. de eo Dio XLIX, 39. Vell. Pat. II, 84.), sed omnibus huius carminis lectoribus saluberrima vitae praecepta propinat. Iubet scilicet Dellium vanas curas (quibus ille se macerasse videtur) pellere ex animo, dum secum reputet moriendum sibi esse, sive laetam sive tristem vitam vixerit.

v. 1. *arduis*, gravioribus, superandis non sine magnis difficultatibus.

v. 6. *remoto*, gramine, quod nascitur et virescit in loco solo et a consuetudine hominum *remoto*.

Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.
Qua pinus ingens albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo:
Huc vina et unguenta et nimium brevis
Flores amoenos ferre iube rosae,
Dum res et aetas et Sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemtis saltibus et domo
Villaque, flavus quam Tiberis lavit;
Cedes, et exstructis in altum
Divitiis potietur haeres.
Divesne, prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper et infima
De gente sub divo moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur; omnium
Versatur urna serius ocius
Sors exitura, et nos in aeternum
Exsilium impositura cymbae.

v. 8. *Inter. nota Fal.* adiici solebant cadis *notae*, quibus, quale vinum in quoque cado conditum esset, designabatur; vocatur eiusmodi nota *interior*, quia vina rariora et generosiora, sicut apud nos, in interiore quadam cellarum vinariarum parte vel angulo recondi solebant.

v. 9 — 12. *Qua pinus* cett. en mirare et percipe dulcissimam loci amoenissimi descriptionem! Pinus et populus brachia vel ramos amanter quasi inter se nectunt et consociant, eoque venientes hospitali umbra excipiunt et recreant. In vicinitate rivus decurrit dulci murmure. — *laborat* refer ad aquae cursum quasi intentiorem, vel ob rivi obliqui ambages et saxa impeditiorem. — v. 12. *trepidare*, decurrere, festinare. Infr. Epist. 1, 10, 21. Aqua, *quae per pronum trepidat cum murmure rivum.*

v. 17. *saltibus*, pascuis.

v. 21. *Inach. Inachus*, rex Argivorum antiquissimus.

v. 23. *moreris*, commoreris, vivas; sed inest simul verbo *morari* notio vitae molestioris et durioris.

v. 27. *sors exitura*, nam cuius sors ex urna fatali, a Necessitate quassata, exsilit, ei statim mors subeunda est.

CARMEN IV. (VI.)

AD SEPTIMIUM.

METR. VI.

Septimi, Gades aditure mecum et
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda,
Tibur, Argeo positum colono,
Sit meae sedes utinam senectae,
Sit modus lasso maris et viarum
Militiaeque.
Unde si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galaesi
Flumen et regnata petam Laconi
Rura Phalanto.

CARM. IV.

Titius Septimius, quem Horatius infr. Epist. I, 3, 10. ut poetam laudat, qui *haustus fontis Pindarici non expalluerit*, eundemque ut *virum fortem bonumque* Epist. I, 9, 18. Claudio Neroni commendat, tam arcto piae amicitiae vinculo et spectata fide iunctus fuit Horatio, ut hic una cum Septimio ultimos vitae dies in agro Tiburtino, vel, si inde arceatur, in agro Tarentino transigere cupiat. Spirat sane hoc carmen amicitiae sensus mollissimos tenerrimosque. Sub fine Tarentinae regionis opportunitates extollit.

v. 1. *Gades*, nunc *Cadix*. cf. Od. II, 2, 11.

v. 2. *indoctus* (cum infinitivo) *ferre*, qui nondum didicit ferre. *Cantabri*, populus Hispaniae Tarraconensis.

v. 3. *barbaras Syrtes*. cf. supr. Od. I, 22, 5. — *Maura unda*, mare Africum, ab extrema Africae regione *Mauritania*.

v. 5. *positum*, conditum, *Argeo colono*, colonia Argiva a Tiburno, Catilo et Cora, fratribus, in agrum Tiburtinum deducta.

v. 7. *lasso mar. et viar.* mihi fesso et pertaeso *mar. et viarum*; similiter infr. Epist. I, 11, 6. *odio maris atque viarum*.

v. 10. *pellitis ovibus*. quo praestantior lana fuit in illis regionibus, eo maiore cura servabatur eius integritas. Ne igitur lana pretiosior vel vepribus lacerarentur, vel alio modo corrumperetur, oves muniri et obtegi solebant *pellibus*. vid. Columell. VII, 4. Varro II, 2. — *Galaesi flumen* (nunc *Galaso*) Tarentum praeterfluit.

v. 12. *Phal. Phalantus* regnavit Turenti, colonia e terra Laconica eo deducta.

Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet, ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro;
Ver ubi longum tepidasque praebet
Iupiter brumas, et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus et beatae
Postulant arces; ibi tu calentem
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

CARMEN V. (IX.)

AD VALGIUM.

METR. VIII.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inaequales procellae
Usque; nec Armeniis in oris,

v. 14. *non Hym. m. decedunt*, non cedunt praestantiae mellis, quod in monte Atticae Hymetto ab apibus colligitur.

v. 16. *Venaf.* Venafrum, oppidum Campaniae, olivarum feracitate nobile.

v. 18. *Aulon*, mons agri Tarentini.

v. 19. *amicus fertili Baccho*, favens vini fertilitati vel fecunditati.

v. 22. *arces*, colles.

v. 23. *debita*, quae debetur amicitiae pietati.

CARM. V.

Cum Valgius dulcissimi filii mortem insolabiliter lugeret et perpetuis querelis et lamentationibus molestus fieret aliis: poeta in hoc carmine Valgium oculos ad rerum naturam vertere et, si cognoverit non semper imbres decidere, non semper ventos in mari et silvis saevire, cum pariter post tristiora laetiora sperare et nunc fausta carminibus potius una secum Caesaris victorias celebrare iubet. — Horatius autem non per se luctum vel dolorem iustum, sed demto fine continuatum carpit. De *Valgio*, poeta, Tibull. IV, 1, 180. *Valgius, aeterno propior non alter Homero;* plura de eo vide ibi apud *Broukhus*.

v. 1. Vox *hispidus* bene exprimit agrorum post pluvias speciem hirtam, horridam, asperam et immundam. — v. 2. *inaequales*, modo maiore, modo minore impetu et copia delabentes.

v. 4. *usque*. observa locutionum

Submovet. Non, si male nunc, et olim
Sic erit: quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
Fortis adpare; sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

CARMEN VII. (XIII.)
AD ARBOREM.
METR. VIII.

Ille et nefasto te posuit die,
Quicunque primum, et sacrilega manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem obprobriumque pagi;
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena Colcha,
Et quidquid usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo

v. 18. *quondam*, nonnunquam, interdum.

CARM. VII.

Iucundissima sane est narratio, quam Horatius in hoc carmine affert de re, qua eius vita in magnum discrimen adducta sit. Acciderat scilicet, ut poeta, cum animi causa in horto suo prope villam ambularet, repentino et improviso arboris alicuius casu paene occisus esset. Primum quidem pro eo, quo sumus homines, ingenio non tantum fatali illi arbori, sed etiam ipsi, qui eam plantaverit, diras imprecatus est. Tum, postquam dixit (v. 21.): *Quam paene furvae regna Proserpinae vidimus*, ea, quae finxit de Proserpinae regno antiquitas, breviter edisserendi occasionem amplectitur.

v. 1. *nefasto*, infausto, die, quo nobis quod faustum sit, fari non licet, die male ominato. *posuit*, arborem *ponere*, ut nos: *einen Baum setzen*.

v. 3. *Produxit*, te educandam et formandam curavit.

v. 4. *obprobrium*, dedecus, ignominiam, nos: *Schandfleck, Schimpf*.

v. 7. *sparsisse noct. cruore*, contaminasse nocturna caede.

v. 8. *Colcha*, Colchica, qualia tractavit Aeetae, Colchorum regis, filia, Medea.

v. 10. *statuit*, ut *posuit* v. 1.

Te triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bosporum
Poenus perhorrescit, neque ultra
Caeca timet aliunde fata;
Miles sagittas et celerem fugam
Parthi; catenas Parthus et Italum
Robur: sed inprovisa leti
Vis rapuit rapietque gentes.
Quam paene furvae regna Proserpinae,
Et iudicantem vidimus Aeacum,
Sedesque discretas piorum, et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur Umbrae dicere; sed magis
Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.

v. 14. *in horas*, in ea, quae instant, in tempus futurum.

v. 14 sqq. *Navita Poenus*, mercator Phoenicius; *Bosporum*, scil. Thracium, per quem navigabatur in Pontum Euxinum, *perhorrescit*, ob loca petrosa, navigantibus timenda. — *neque ultra* cett. neque praeterea alia caeca fata aliunde instantia timemus; nota tantum, non ignota, pericula extimescimus.

v. 17. *sag. et cel. fug. Parth.* equites enim Parthorum, qui in fuga, quam simulabant, equis repente versis certa tela iacere solebant, vel maxime timendi fuerunt Romanis.

v. 19. *Italum robur*, de carcere, trabibus roboreis firmissime munito et proinde terribiliore. Liv. XXXVIII, 59. *in robore et tenebris exspirare*.

v. 25. *puellis de popul.* de amoribus puellarum popularium.

v. 27 — 32. *dur. nav.* cett. attinguntur res, quas Alcaeus celebravit carminibus; *dura mala navis et belli*, duros labores terra marique exhaustos; *dura fugae*, tristem sortem exsilii, in quod Alcaeus a civitatis suae tyrannis,

Quid mirum? ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures, et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues;
Quin et Prometheus et Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono,
Nec curat Orion leones
Aut timidos agitare lyncas.

CARMEN VIII. (XIV.)

AD POSTUMUM.

METR. VIII.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis et instanti Senectae
Adferet indomitaeque Morti;
Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places inlacrimabilem

Myrsilo et Pittaco, expulsus fuerat. — *pugnas*, bella civilia, a Mitylenaeis contra tyrannos gesta, quorum eventum secuta est tyrannorum expulsio.

v. 34. *bellua centiceps*, Cerberus.

v. 37—40. *Prometheus*. quem Horatius in poena Prometheo apud inferos constituta secutus sit, nescimus. *Pelopis parens*, Tantalus.

v. 38. *Dulci laborum decipitur sono*, Graece (*ψεύδεται τῶν πόνων*); sensus laborum apud inferos sustinendorum intercipitur vel furtim tollitur carminum dulcedine; nos: *man vergißt bei den himmlischen Tönen der Gesänge die Leiden der Strafen in der Unterwelt.*

v. 39. *Orion*, venator nobilissimus, apud inferos quoque venationem exercet. Scilicet Umbrae apud inferos continuare dicuntur studium, cui in terra fuerunt dediti.

CARM. VIII.

Poeta in hoc carmine, animi fervore quodam composito, Postumum, sine dubio hominem divitem et avarum, non tam terrere quam potius, ut ille tam mortis, quam nullus omnino animantium effugere possit, quam vitae concitatissimo impetu decurrentis cogitatione de rebus, haeredi relinquendis, prudentem usum caperet, exhortari et impellere voluit.

v. 2. *pietas*, pius deorum cultus, sacrificia, ut paulo post *hecatombe*.

Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi
Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terrae munere vescimur,
Enaviganda, sive reges
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus
Fractisque rauci fluctibus Hadriae;
Frustra per auctumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum:
Visendus ater flumine languido
Cocytos errans, et Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.
Linquenda tellus et domus et placens
Uxor, neque harum, quas colis, arborum
Te praeter invisas cupressus
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet haeres Caecuba dignior
Servata centum clavibus, et mero
Tinguet pavimentum superbum
Pontificum potiore coenis.

v. 7. *qui ter* cett. non vulgares, sed vastissimi corporis homines, *amplum* (τριςώματον) *Geryonen Tityonque*, Terrae filium.

v. 11. *reges*, dites et nobiles, ut saepe apud Horatium; opponuntur *inopes*.

v. 19. *Danai genus Infame*, Danaides, Danai filiae, sponsorum caede *infames*.

v. 20. de *Sisyphi in Orco labore* (poena) Propert. II, 17, 8. *Difficile ut toto monte volutet onus*. cf. Hom. Odyss. XI. 593 seqq.

v. 24. *dominum brevem*, ὀλιγοχρόνιον, μινυθάδιον, breve tempus viventem; sic supr. Od. II. 3, 14. *rosa brevis*, tempus breve florens.

v. 24. *potiore*, meliore et generosiore, quam quod in coenis Pontificum bibi solet.

CARMEN IX. (XVI.)
AD GROSPHUM.
METR. VI.

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Aegaeo, simul atra nubes
Condidit lunam neque certa fulgent
Sidera nautis;
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura venale neque auro.
Non enim gazae neque consularis
Submovet lictor miseros tumultus
Mentis et Curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,

CARM. IX.

Per *otium* in hoc carmine designatur sensu latiore quies, securitas, salus, quam vel tempestate in mari deprehensi, vel bello vexati pressique optant. Sed illud *otium* sive illa a malorum vel timore vel perpessione liberatio neque purpura neque auro paratur, sed animo sorte sua contento. Nam (v. 13 seqq.) *vivitur parvo bene* cett. Ceterum *Grosphus*, ut apparet ex hoc carmine v. 33 — 37, opibus et divitiis quidem abundasse, sed *otio* caruisse videtur.

v. 1. *Otium*, quietos et secundos ventorum flatus, *simul atra nubes* cett. eleganter et pulchre pro vulgari: simulac signa orientis tempestatis animadvertuntur.

v. 3—4. *neque cert. fulg. Sid. nautis*, neque fulgent sidera, quae nautis *certam* prosperae navigationis fidem faciant.

v. 10. *consul. Subm. lict. m. tum. submovere* proprie de lictore consulari, qui incedenti consuli praecedens turbam populi *submovendo* viam faciebat; lictor igitur poterat quidem ex via turbam populi, sed non turbam curarum ex animo *submovere*.

v. 11. *laqueata tecta*, laquearia vel lacunaria, conclavium camarae, quarum *lacus*, *lacunae*, h. e. tignorum interstitia opere caelato (nos: *Stuccatur-Arbeit*) picturis, auro cett. exornata et distincta fuerunt. Cernebatur autem imprimis in eiusmodi *lacunaribus* conclavium splendor et magnificentia.

v. 13. *Vivitur parvo bene* scil. ei, cui.

Nec leves somnos Timor aut Cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes iaculamur aevo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus patria? quis exsul
Se quoque fugit?
Scandit aeratas vitiosa naves
Cura, nec turmas equitum relinquit,
Ocior cervis et agente nimbos
Ocior Euro.
Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare, et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem,
Longa Tithonum minuit senectus;
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum Siculaeque circum
Mugiunt vaccae; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctae
Vestiunt lanae: mihi parva rura, et
Spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

v. 17. *Quid br. f. iaculamur. iaculari aliquid* significanter de iis, qui totum animum oculosque in aliqua re impetranda figunt, remis velisque ad rem aliquam assequendam currunt.

v. 20. *se*, ea, quae se crúciant, eleganter pro: curas suas.

v. 26—7. *amara lento temp. risu.* en suavem imaginem hominis, qui mala non ipsius culpa contracta (*lento risu*) placido et bene temperato animo fert.

v. 29. *cita mors Ach.* erat Achilles, ut eum vocat Homerus, ὠκύμορος, quia florens adhuc aetate ante diem caesus est.

v. 30. *Tithonum*, cf. supr. Od. I, 28, 8.

v. 34. *tibi tollit hinnitum Apt. quadr. equ.*, tu alis equas certaminibus curulibus aptas; *equae* tam pedum velocitate quam corporis agilitate equos masculos superare putabantur. — v. 40. *malign. spern. vulg.* intellige poetas vulgares,

CARMEN X. (XVIII.)

METR. XVIII.

Non ebur neque aureum
Mea renidet in domo lacunar;
Non trabes Hymettiae
Premunt columnas ultima recisas
Africa; neque Attali
Ignotus haeres regiam occupavi;
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestae purpuras clientae:
At fides et ingeni
Benigna vena est, pauperemque dives
Me petit. Nihil supra
Deos lacesso, nec potentem amicum

h. e. ineptos, pusillo animo contra magnum poetam, Horatium, exsurgentes.

CARM. X.

Si Horatius vere ita, ut in hoc carmine profitetur, sensit egitque, quis est, qui eum non admiretur, non amore erga eum incalescat? Ille enim nec appetit nec curat latifundia, nec externum splendorem et magnificentiam suspicit, sed sorte sua contentus in villa sua Sabina vitam vivit iucundissimam; ille ridet divites, qui vitae brevitatis immemores sub ipsum funus locant aedificia ex marmore in altum exstruenda, ille detestatur potentiores, divites et avaros, qui aliorum bonis tam vi quam fraude manus iniiciunt, et pauperes pessime tractant.

v. 1. *ebur*, apud veteres enim non solum varia utensilia ebore pulchre distinguebantur, sed etiam plura supellectilis genera ex integro ebore conficiebantur.

v. 2. *lacunar*, vid. supr. Od. II, 16, 11.

v. 3. *trabes Hymettiae*, tigna ex marmore in Hymetto, monte Atticae, exciso, *premunt colum. ult. rec. Afr.*, imposita sunt columnis (columnarum scapo vel capitulo) factis ex marmore in Africa nato, h. e. ex marmore Numidico.

v. 5. *Attali*, regis Pergami, immensarum divitiarum possessoris; hinc supr. Od. I, 1, 12. *conditiones Attalicae*, h. e. splendidissimae. *Ign. haer. reg. occ.* erat quodammodo *haeres ignotus* populus Romanus, quem divitiarum quidem suarum, sed non ipsius regni haeredem Attalus instituerat.

v. 8. *Laconicas purpuras*, lanam purpurae Laconicae colore tinctam.

Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die,
Novaeque pergunt interire Lunae:
Tu secanda marmora
Locas sub ipsum funus, et sepulchri
Immemor struis domos,
Marisque Baiis obstrepentis urgues
Submovere litora,
Parum locuples continente ripa.
Quid? quod usque proximos
Revellis agri terminos, et ultra
Limites clientium
Salis avarus; pellitur paternos
In sinu ferens Deos
Et uxor et vir sordidosque natos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata
Aula divitem manet
Herum. Quid ultra tendis? Aequa tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris, nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum

— v. 12. *potentem amicum*, Maecenatem.

v. 18. *Locas*, sc. conducentibus splendidissimorum aedificiorum exstructionem.

v. 20—22. *Marisque* cett. Sensus: Et quasi non satis ampla tibi sit terra continens in litore prope mare, Baias alluens, magno studio illam amplificare et in mare latius extendere moliris, h. e. in litore ulterius promoto nova exstruere tentas aedificia.

v. 24. *Revellis*, minores et arctiores reddere studes.

v. 28. *sordidos*, ob penuriam immundos et sorde squalentes.

v. 29—32. *Nulla certior tamen* cett. Iunge: *Nulla tamen aula certior rapacis Orci fine* (Orco) *destinata manet divitem herum*, elegantius pro: *destinata est diviti hero.*

v. 34. *satelles Orci*, Charon.

v. 35. *Callidum*, sagacem, acumine praestantem; nam quod *Prometheus* formasse (hominem et lu-

Tantalum atque Tantali
Genus coercet; hic levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus atque non vocatus audit. 40

to) et in medium protulisse (ignem ex caelo) dicitur, id tribuendum est Promethei sagacitati. Dictus ille videtur *Prometheus* a προμηθείᾳ, providentia, facultate rerum perspiciendarum.

v. 37. *Tantali genus*, Pelopem, Atreum, Agamemnonem, Orestem.

v. 40. *vocatus levare*, Graece pro: *ut levet.*

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM LIBER TERTIUS.

CARMEN I. (I.)
METR. VIII.

Odi profanum volgus et arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

CARM. I.

Ex toto huius carminis, ut ita dicam, habitu, forma et ingenio satis apparet Horatium gravitatem et auctoritatem conciliare voluisse sententiis et praeceptis, ad hominum vitae felicitatem recte aestimandam in eo propositis. Poeta, iam Musarum sacerdos, sicut alii sacerdotes rem sacram facturi, prodit vultu ad piam auctoritatem, dignitatem et severitatem composito; profanos hinc se facessere iubet, et ad audientiam sibi faciendam silentium indicit. Redeunt autem quae praecipit Musarum sacerdos, fere eo: „*Vera hominum felicitas neque in potentia et honorum splendore, neque in magnarum divitiarum possessione, sed in animo tranquillo et in eo, quod satis est, acquiescente ponenda est.*"

v. 1. *Odi prof. v. et arc.* utitur poeta formula solemni, qua a sacrorum communitate prohiberi solebant *profani.* Virg. Aen. VI, 258. *procul o, procul este profani.* Callimach. H. in Apoll. 2. ἐκὰς, ἐκὰς, ὅστις ἀλιτρός.

v. 2. *Favete linguis*, parcite linguis, abstinete linguarum usu, tacete; *linguis* est casus sextus sc. compressis.

v. 4. *Virg. puer. canto.* poeta,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est, ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in Campum petitor;
Moribus hic meliorque fama
Contendat; illi turba clientium
Sit maior: aequa lege Necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.
Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculae dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos

ut chorodidascalus, virginum puerorumque choro carmen solemni die decantandum praecinit vel *tradit*; chorus illud (*cantat*) *reddit*. cf. infr. Od. IV, 6, 43.

v. 5. *greges*, de populo, unde rex populi, ποιμὴν λαῶν.

v. 6—8. *Regum timend. cett.* populus potest regibus, reges subiecti sunt imperio Iovis, gigantes domantis et nutu moderantis omnia.

v. 9—12. *Est*, fieri vel evenire solet, accidit, *ut* alius alio latiora arbusta (vineas) possideat, ubi sulcis ad certum ordinem (vulgo ad ordinem quincuncem) ductis vites serantur et arboribus annectantur. — *melior fama*, honestatis laude notior.

v. 14—16. *aequa lege Necess. Sort.* pro vulgari: omnibus morien-dum est. Sors cuiusque condita est in urna; *Necessitas* urnam concutit, et cuius sors excidit, is statim moritur. Cf. supr. Od. II, 3, 25. seqq.

v. 17—24. *Destrictus ensis cett.* locus elegantissimus de hominibus tam felicibus, quam infelicibus. Ad felices pertinent ii, qui tantum, quantum satis est, cupiunt et vacui sunt curis, quae latifundiorum possessoribus, ut Damocli (vid. Cic. Quaest. Tusc. V. 20), Dionysii, Syracusanorum tyranni, assentatori, ensis, super cervice impendent.

v. 18. *Siculae dapes.* intellige epulas lautissimas, quales in ventrem descendere iubebant tyranni Siculi.

v. 19. *elaborabunt*, excitare, elicere, proferre poterunt; *elaborare*

Fastidit, umbrosamve ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem, quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi cadentis
Impetus aut orientis Haedi;
Non verberatae grandine vineae,
Fundusve mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces aequora sentiunt
Iactis in altum molibus; huc frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis, dominusque terrae
Fastidiosus: sed Timor et Minae
Scandunt eodem, quo dominus; neque
Decedit aerata triremi, et
Post equitem sedet atra Cura.

de re, in qua perficienda summam ponimus operam.

v. 24. *Tempe* non tantum de amoenissima illa regione in Thessalia, sed etiam de quovis alio loco amoeno.

v. 27. *Arct. cad. Arcturus* stella in cauda Bootae, quae, cum occidit, saevam tempestatem praenuntiat; hinc *saevus Arcturi inpetus*, h. e. vis vehementior saevae tempestatis, quae occasum Arcturi sequi solet. — *orient. Haedi.* ortus quoque *Haedorum* (duarum stellarum in laevo brachio Erichthonii) procellosum tempus portendere putabatur.

v. 30. *aquas*, nimiam pluviarum copiam.

v. 33—36. *Contracta pisces* cett. pergit poeta memorare, in quibus divites divitiarum suarum ostentare soleant magnificentiam. Ad insana luxuriae genera pertinebat etiam hoc, quod in litoribus pars quaedam maris ingentibus saxorum molibus cingebatur, ut inde tanquam ex piscina quovis tempore pisces peti possent a gulosis dominis. Eiusmodi piscinae vocabantur *vivaria*. Praeterea magnis sumtibus exstruenda curabant divites in litoribus aedificia, ut aërem ibi marinum traherent, vel corpora refrigerarent. cf. supr. Od. II, 18, 20 seqq.

v. 35. *redemtor*, manceps, cf. infr. Epist. II, 2, 72., qui aedificium aliquod pro certa pecuniae summa exstruendum paciscitur; *caementa*, lapides caesos, rudes adhuc et informes.

v. 37. *Minae*, sc. quas iacit Fortuna adversa.

v. 40. *Post equitem.* aptissima

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achaemeniúmve costum:
Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

CARMEN II. (II.)

METR. VIII.

Angustam amice pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat, et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta,
Vitamque sub divo trepidis agat
In rebus. Illum ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens et adulta virgo
Suspiret: Eheu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum

imago Curae sedentis *post equitem*, in equi ephippiis.

v. 41. *Phrygius lapis*, marmor puniceum et maculosum, quod *Synnadicum* quoque dicitur, quia circa Synnadam, maioris Phrygiae urbem, effodiebatur.

v. 44. *Achaemenium costum*, Parthicum (a Parthorum rege, Achaemene), quod ut merx Parthica Romam deportabatur.

v. 48. Significanter *divitiae* dicuntur *operosae*, multum scilicet negotiorum et operae facessentes earum possessoribus.

CARM. II.

Horatius in hoc carmine parentibus, qui velint ita educare filios, ut illi boni fortesque praeclare aliquando de republica mereant, auctor suasorque existit, ut filios mature rerum penuriae et laboribus fortiter perferendis adsuefactos hostibus timendos reddant.

v. 1. *amice*, ἀγαπητῶς, promto paratoque animo.

v. 2. *robustus*, robusto et valido corpore instructus.

v. 5. *trepidis in rebus*, loquendi ratio Livio imprimis familiaris, ut *arctis in rebus*, ubi, quid agamus, inopes sumus consilii.

v. 7. *matrona*, uxor.

v. 9. *Suspiret*, suspirans contremiscat et in haec verba erumpat: *Eheu* cett. — *rudis agmin.* agminis contra hostem ducendi vel rei bellicae imperitus.

Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.
Dulce et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum,
Nec parcit inbellis inventae
Poplitibus timidove tergo.
Virtus, repulsae nescia sordidae,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec sumit aut ponit secures
Arbitrio popularis aurae.
Virtus, recludens inmeritis mori
Caelum, negata tentat iter via,
Coetusque vulgares et udam
Spernit humum fugiente penna.
Est et fideli tuta silentio
Merces: vetabo, qui Cereris sacrum
Volgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus, fragilemve mecum
Solvat phaselon. Saepe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum;

v. 12. seqq. *Dulce et* cett. postquam poeta pueros ad corpus corroborandum et ad virtutem exercendam excitavit, subiicit nunc, quod illos ad vitam pro patria devovendam vel maxime propellere debebat, nempe decus et gloriam: *Dulce et decorum est pro patria mori.* Expressit autem Horatius illud Tyrtaei τεθνάμεναι γὰρ καλὸν ἐπὶ προμάχοισι πεσόντα Ἄνδρ' ἀγαθὸν περὶ ᾗ πατρίδι μαρνάμενον.

v. 15—16. *Nec parcit* cett. qui intentissimo cursu fugientem persequitur, is, simulac propior factus est fugienti, tergum eius petit ictibus, vel poplites, ut facultas currendi fugientem deficiat. Intactilia Livius XXII, 43. *Numidae. terga ferientes et poplites caedentes stragem ingentem fecerunt.*

v. 19. *secures*, imperium vel magistratum. Virgarum enim fascibus, qui praeferri solebant magistratibus, secures ad supplicium statim a sontibus sumendum additae sunt.

v. 23. *udam*, lutulentam, sordibus inquinatam.

v. 25. *Est et fideli* cett. sacris enim initiati firma fide reticere debebant eorum mysteria.

v. 29. *solv. phaselon.* *phaselus*, longioris formae navicula, dicta ita a *phaselo*, longioris formae fabarum quodam genere.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede Poena claudo.

CARMEN III. (III.)

METR. VIII.

Iustum ac tenacem propositi virum
Non civium ardor prava iubentium,
Non voltus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Iovis:
Si fractus inlabatur orbis,
Inpavidum ferient ruinae.
Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus arces adtigit igneas,
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

v. 31—32. *Raro anteced. scel. cett.* Poenae, lento quidem gressu incedenti, sed sic quoque maleficos assequenti, facete *pes claudus* tribuitur. Tibull. I, 9, 4. *Sera tamen tacitis Poena venit pedibus.* Plura in hanc rem exempla dabit ad h. l. *antiquae fidei Amicus Mitscherlichius.*

CARM. III.

Animi firmitatem et constantiam Horatius in hoc carmine extollit ut eam virtutem, qua quis instructus summa quaeque assequi, imo ad divinos honores evehi possit. Inter heroes hac virtute inter deos relatos apparet quoque Augustus, cuius ἀποθέωσις et laudes praecipue poetam ad hoc carmen scribendum impulisse videntur. Postquam mentionem quoque fecit Romuli, Iunonem in concilio deorum inducit edentem vaticinium, quo huic carmini summa sublimitas summumque pretium paratur.

v. 1. *tenacem propositi*, firmo et inconcusso animo in semel capto consilio persistentem.

v. 3. *voltus*, minax scilicet et truculentus.

v. 5. *dux turbidus Hadriae*, turbas vel tumultum in mari concitans, turbulentus. Ovid. Heroid. XVIII, 2. *Tempora sunt ipso turbidiora mari*, inquietiora. *dux turbidus Hadriae*, regnans et dominans in mari Hadriatico turbas vel tumultum ibi concitando.

v. 9. *Hac arte*, hac invicta animi facultate, pertinacissima scilicet constantia. — *Hercules vagus*, totum fere terrarum orbem pervagatus.

Hac te merentem, Bacche pater, tuae
Vexere tigres, indocili iugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit,
Gratum eloquuta consiliantibus
Iunone Divis: Ilion, Ilion
Fatalis incestusque iudex
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum populo et duce fraudulento.
Iam nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus hospes, nec Priami domus
Periura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit,
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protenus et graves

v. 14. *tuae Vex. tigres.* Bacchus enim post triumphum de victa India curru tigribus iuncto vectus coelum ingressus est.

v. 15—18. *Hac Quirinus* cett. Hac immutabili plane in rebus coeptis perseverantia Romulus Martis equis (Ovid. Fast. II, 496. *Fit fuga, rex patriis* (Martis) *astra petebat equis,*) coelum petiit, ubi Iuno, quod gratum fuit diis consiliantibur, effata est hoc: *Ilion, Ilion* cett.)

v. 19. sqq. *iudex fatalis*, Paris, quem infaustum fatum mali illius aurei iudicem constituit; *incestus*, refer ad impurum amorem, quo Paris abducta Helena sanctitatem hospitii laesit; *vertit in pulverem*, cinerem, in quem incensa Troia versa et redacta est; *ex quo* cett. sensus: Troiae pernicies cum populo et fraudulento duce (Priamo) ab eo inde tempore meis et Minervae studiis atque machinationibus *(damnata)* destinata et tradita est, ex quo Laomedon (Priami pater) deos (Neptunum et Apollinem) promissa mercede (pro opera in reficiendis Troiae muris praestita) defraudavit. Virgil. Georg. I, 502. *Laomedonteae luimus periuria Troiae. Destituere aliquem* dicitur is, qui non praestat quod se alicui praestare velle addixerat, qui alicui deest, aliquem fallit et defraudat; *duce fraudulento*, Priamo, fraudulenti Laomedontis filio.

v. 25. *Lacaenae adult.*, Helenae.

v. 28. *Hectoreis opibus*, robore et fortitudine Hectoris.

v. 29. *ductum*, extractum in decem annos, *seditionibus*, aliis diis contra, aliis pro Troia stantibus.

v. 30. *protenus*, ab eo inde tempore, nos: *forthin.*

Iras et invisum nepotem,
Troïa quem peperit sacerdos,
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum, et catulos ferae
Celent inultae, stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus;
Aurum inrepertum et sic melius situm,
Quum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere, humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicunque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.

v. 31. *nepotem invisum*, Iunoni nempe, cui Romulus ex Marte nepos est.

v. 32. *Troïa sacerdos*, Ilia.

v. 40. *Dum Pr. Par. b. Insult.* cett. dummodo Priamus et Paris procul in locis desertis sepulti iaceant, ubi armenta eorum busto insultent, et ferae bestiae cum catulis sicure in abditis cubilibus et cavernis lateant.

v. 44. *dare iura*, imperare.

v. 46. *medius liquor*, fretum Gaditanum.

v. 49—52. *Aurum inrep.* sensus: Sit sane in posterum Roma fortior in auro spernendo, quam in eo congerendo et constipando, quia homines omnia, quae iis sacra esse debent, ad profanos usus convertunt conferuntque.

v. 55—56. *Qua parte* cett. ubi solis aestuantis gravitas perferenda, et nebularum pluviarumque mole-

Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii
Rebusque fidentes avitae
Tecta velint reparare Troiae.
Troiae renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Coniuge me Iovis et sorore.
Ter si resurgat murus aëneus,
Auctore Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis, ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non haec iocosae conveniunt lyrae:
Quo, Musa, tendis? Desine pervicax
Referre sermones Deorum et
Magna modis tenuare parvis.

CARMEN IV. (IV.)

AD CALLIOPEN.

METR. VIII.

Descende caelo et dic age tibia
Regina longum Calliope melos,

stia devoranda est; gestiens visere zonam tam torridam, quam frigidam.

v. 61. *Troiae renascens fortuna*, Troia de integro condita. Virgil. Aen. IV, 344. *Pergama recidiva.* — *alite lugubri*, sinistro vel infausto omine.

v. 66. *Auctore*, conditore. Virg. Georg. III, 36. *et Troiae Cynthius auctor.*

v. 69—72. *Non haec* cett. Horatius, audaciae, qua sermones deorum iocosa sua lyra retulerit, cogitatione percussus, subito et sublimiter orationem abrumpit.

CARM. IV.

Poeta, tam Musarum quam virorum, illarum cura et disciplina excultorum, laudes carmine *longo* (prolixo) celebraturus, Calliopen, Musarum principem, in partes vocat. Primum quidem narrat, quomodo singularis Musarum custodia a se iam puero plura vitae pericula averterit, et quomodo ut Musarum alumnus ad gravissima et periculosissima quaeque subeunda paratus sit. Deinde transit ad Augustum, et quantum ille Musarum favori et benevolentiae acceptum referat, in medium profert, mitiores scilicet mores et bene temperatum fortem-

Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus citharaque Phoebi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? Audire et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.
Me fabulosae Volture in Appulo
Altricis extra limen Apuliae
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere, (mirum quod foret omnibus,
Quicunque celsae nidum Acherontiae
Saltusque Bantinos et arvum
Pingue tenent humilis Forenti)
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis, ut premerer sacra
Lauroque conlataque myrto,
Non sine Dis animosus infans.
Vester, Camenae, vester in arduos
Tollor Sabinos, seu mihi frigidum

que animum, quo barbari, stolide viribus suis confidentes, dementur et compescantur. — Totum hoc carmen in bonarum litterarum et Augusti laudem compositum esse, facile omnes eius lectores sponte sensuros et concessuros esse existimo.

v. 1. *caelo.* Ennius: *Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum*, et hinc Musae Homero dicuntur Ὀλυμπιάδες.

v. 7. *amoenae aquae*, in locis amoenis decurrentes.

v. 9. *Me fabulosae palumbes.* nexus: ego sum in fide et tutela Musarum, me fovent et curant Musae, nam palumbes, de quibus mira narrantur (*fabulosae*) cett. *Volture* vel *Volture*, monte in Apulia. Scribitur et *Appulia* et *Apulia*; iam metri causa *Apulia*, quia *A* in *Apulia* brevis est.

v. 14. *Acherontia* (urbs Apuliae) dicitur *nidus*, quia in arduo loco, sicut avium nidi in ardua arbore, sita fuit. Sic *Ithaca* apud Ciceronem Orat. I, 44. *nidulus.* — *Saltus Bantinos* a *Bantia*, Apuliae oppido. *Forenti*, oppidi in Apulia siti in humili valle.

v. 20. *Vester*, *Camenae* cett. in vestra, Musae, tutela sum, quocunque pedem fero, seu cett.

Praeneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidae placuere Baiae.
Vestris amicum fontibus et choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non exstinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.
Utcunque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosporum
Tentabo et arentes arenas
Litoris Assyrii viator.
Visam Britannos hospitibus feros
Et laetum equino sanguine Concanum;
Visam pharetratos Gelonos
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Caesarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quaerentem labores,
Pierio recreatis antro.

v. 23. *Tibur supinum*, in montis dorso porrectum.

v. 25. *amicum*, addictum, sacratum: Supr. Od. I, 26, 1. *Musis amicus* cett. — *Non me Phil. v. ac. retr.* vid. supr. Od. II, 7, 9.

v. 27. *Devota non exst. arb.* cf. supr. Od. II, 13.

v. 28. *Palinurus*, promontorium Lucaniae. Genus vitae periculi, quo bona fortuna evasit Horatius, non commemoratur. Fortasse parum ille abfuit a naufragio.

v. 30. *Bosporum*, cf. supr. Od. II, 13, 14.

v. 33. *hosp. feros*, hospites scilicet, ut observat Acron, immolare solebant Britanni.

v. 34. *Et laetum equ. s. Concanum.* — *Concanus*, Cantabriae in Hispania Tarraconensi populus, sed barbaris moribus adsuetus, quia Concanus non, ut alii cultiores populi, potum sanguinis equini exhorrescebat, sed eo adeo delectabatur; hinc ille *laetus equino sanguine* dicitur. Eiusdem fere ingenii homines fuerunt *Scythae*, qui *lac concrétum cum sanguine equino* potasse narrantur; vid. *Cerda* ad Virg. Georg. III, 463.

v. 35. Quemadmodum *Geloni*, populus Sarmaticus, ab Horatio *pharetrati*, ita iidem apud Virgil. Aen. VIII, 725. *sagittiferi* dicuntur, quia tam in silvis feras bestias, quam in agris hostes sagittis petere solebant.

v. 36. *Scythicum amnem*, Tanain.

v. 37 seqq. Iam transit poeta ad Augustum, quem ut *Musis amicum* inducit, h. e. ut virum doctum, qui in hibernis adeo (v. 38.) vel bellis finitis *Pierio recreetur antro*

Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis almae. Scimus, ut impios
Titanas immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia,
Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus aequo.
Magnum illa terrorem intulerat Iovi
Fidens iuventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhoeus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhoetus evolsisque truncis
Enceladus iaculator audax

h. e. doctrinae studiis exerceatur, et ut vir bene excultus contra hostes barbaros et incultos, sicut Iupiter contra Gigantes, pugnet. — *Caesar altus*, vir excelsi animi. Cic. de Fin. III, 8. *Vir altus et excellens, magno animo, vere fortis.*

v. 41 seqq. Sententiarum nexus est fere hic: Qui vestro, o Musae, consilio, vestro favore vestraque disciplina fruuntur, de illis, ut mitioribus, lenioribus et humanioribus, vos capitis laetitiam; at qui sunt inculti et feroces, corporis vires et molem iactant, et contra cultiores insolenter exsurgunt, isti huius ferociae et insolentiae poenam dant, et eandem sortem experiuntur, quam Gigantes contra Iovem pugnantes experti sunt. *Scimus, ut Titanas* cett. ea est in fabulis Titanum et Gigantum permixtio, ut iidem modo Titanes, modo Gigantes audiant. vid. *Heyn.* in Not. ad Apollod. p. 67.

v. 45—48. *Qui terram inertem* cett. expendant et admirentur tirones artem, qua Horatius simplicem vocem *Iupiter* tam ample et sublimiter expresserit. — *terr. inert. terra* eleganter dicitur *iners*, quae nisi motu aliquo impellitur, subigitur, exercetur, agitatur cett., *iners* quasi, vel *bruta* (ut supra Od. I, 34, 9. dicitur) iacet.

v. 46. *tristia*, Tartara.

v. 50. *horrida iuventus*, quae, cum adspicitur, immani et monstrosa specie horrorem iniicit.

v. 51. *tendentes*, intentis viribus tentantes, molientes.

v. 54. *minaci statu.* — *status* ut *gradus* de gladiatoribus, qui firmiter pede vel gradu in terra posito vel fixo contra adversarium exsurgunt et pugnant.

Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Volcanus, hinc matrona Iuno, et,
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliae lavit
Crines solutos, qui Lyciae tenet
Dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consilî expers mole ruit sua;
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In maius; idem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum, notus et integrae
Tentator Orion Dianae
Virginea domitus sagitta.
Iniecta monstris Terra dolet suis,
Maeretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum; nec peredit
Impositam celer ignis Aetnen;
Incontinentis nec Tityi iecur
Relinquit ales, nequitiae additus
Custos; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

v. 58. *avidus* sc. pugnae; nisi quis malit *avidus* ad naturam *ignis* (*Vulcani*) referre.

v. 61. *Castaliae*, fontis in Parnassi iugo.

v. 62—64. *Lyciae dumeta*, intellige Patara, oppidum Lyciae. — *natalem silvam* in insula Delo.

v. 65 — 66. *Vis consilî expers* etc. Res summae et amplae, nisi reguntur *consilio*, h. e. ratione et prudentia, ipsa amplitudine sua destruuntur et corruunt; at quae prudenter administrantur vel quibus administrandis accedit prudentia, earum successum ipsi dii adiuvant.

v. 69. *centimanus Gyges*, Caeli et Terrae filius, e Tartaro ad suppetias Iovi in bello Giganteo ferendas arcessitus.

v. 71. *Orion*, cf. supr. Od. II, 13, 39.

v. 73. *Iniecta monstris Terra d.* s. superiniecta monstrosis suis filiis.

v. 76. *celer ignis*, quem evomere dicuntur monstrosa illa cor-

CARMEN V. (V.)

METR. VIII.

Caelo tonantem credidimus Iovem
Regnare; praesens Divus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio gravibusque Persis.
Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus vixit? et hostium —
Pro Curia inversique mores! —
Consenuit socerorum in arvis,
Sub rege Medo, Marsus et Appulus,
Anciliorum et nominis et togae

pora. — v. 77. *Tityi incontinentis*, libidinosum se obtrudentis *Latonae*. — *ales*, vultur, devorans apud inferos Tityi iecur. — v. 80. *Pirithoum*, *amatorem* Proserpinae, cuius rapiendae causa Pirithous cum amico Theseo ad inferos descendit.

CARM. V.

Quemadmodum tonitrua, quae e coelo audiuntur, alta quasi voce Iovem ibi regnare denuntiant, ita Horatius Augustum ob res, quas ille gessit, gloriosissimas iam in terra deum praesentem agnoscit et declarat. Hinc Phraates, rex Parthorum, cum accepisset Augustum contra se bellum parare, tanto perculsus est terrore, ut captivos et signa militaria, iam saepius frustra repetita, sponte remitteret.

Ceterum huic carmini magnum ornamentum accedit oratione, quam Regulus, Carthagine Romam missus, ut cum senatu Romano ageret de reddendis et remittendis captivis, in senatu habuisse fingitur. Spirat sane haec Reguli oratio Romanorum animum fortissimum et generosissimum odiumque erga hostem acerbissimum.

v. 3—4. *adiectis Britannis — Persis*. nondum quidem tam Britanni quam Persae proprie subiecti fuerunt Romanorum ditioni, sed a maiore Romanorum potentia sibi timebant, et ad eorum voluntatem sese accommodabant. — Dum poeta Augusti splendorem suspicit et Romanorum potentiam secum reputat, mentem eius subit pungitque cogitatio ignominiosae illius notae, quae Romano nomini iusta est infausto illo proelio, quo Romani duce M. Licinio Crasso a Parthis ita victi et superati sunt, ut signa militaria adeo perderent. Haec peracerba cogitatio peperit opprobria, quae poeta in sequentibus iacit in ignavos Crassi milites, qui in terra hostili turpem captivitatem tam lento animo perferre potuerant.

v. 9. *Marsus et Appulus*, et quidem melioris adeo notae milites,

Oblitus aeternaeque Vestae,
Incolumi Iove et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Foedis et exemplo trahenti
Perniciem veniens in aevum,
Si non periret inmiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Adfixa delubris, et arma
Militibus sine caede, dixit,
Derepta vidi; vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clusas, et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,
Nec vera virtus, quum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus,
Et Marte Poenos proteret altero,

quales fuerunt Marsi et Appuli. — v. 10. *Anciliorum. ancile*, scutum oblongum, vere Romanum. Aetate enim Numae Pompilii extiterunt, qui fingerent *ancile coelo delapsum esse* hoc effato: Romanum imperium tam diu *integrum* servatum iri, quamdiu Romani demissum ancile integrum servaturi essent.

v. 13. *Hoc caverat* cett. ab hoc stulto consilio, captivos scilicet in urbem patriam recipiendi, prudenter sibi caverat Regulus.

v. 21. *Militibus derepta*, militum corporibus detracta, non *direpta*, in diversas partes tracta, ablata; *deripere*, nos: *herunter nehmen*, *wegnehmen*, ut: *lyram pariete deripere*, sed *diripere* est: *rauben, plündern.*

v. 27. *damnum*, redemtionis pretium, nos: *Geldverlust.*

v. 28. *fuco. fucus* (φῦκος), herba, cuius succo lana purpureo colore tingenda primum imbui solebat.

v. 30. *curat reponi deterioribus*, redire cupit in corruptorum pectora.

Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!
Fertur pudicae coniugis osculum
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse voltum,
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor numquam alias dato,
Interque maerentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet; non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia
Diiudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum.

v. 37—38. *Hic unde* cett. hic, expers virtutis, qua servaretur, maluit precibus quam armis rem dirimere, h. e. captivitatem praetulit armorum usui. *Probros. alt. Ital. ruinis*, superior et potentior facta per ruinas, ad quas Italia per probrosam militum ignaviam depressa est.

v. 42. *capitis minor* vel *deminutus capite* (vid. Liv. XXII, 60.) dicebatur, qui iure liberi civis per captivitatem privatus ad servilis fere conditionis hominem detrusus esset.

v. 48. *properaret* sc. Carthaginem.

v. 50. *quae sibi barbarus Tortor pararet.* supplicia illa, in quibus describendis operam posuit Sil. Ital. IV, 539 sqq., ab humanitate adeo abhorrent, ut illi, qui ea ad augendam erga Carthaginienses invidiam excogitata esse statuunt, haud errare videantur.

v. 55. *Venafr.* in *agr.* intelligo amoenam regionem in agris prope oppidum *Venafrum* in Campania. — *Lacedaem. Tarent.* cf. supr. Od. II, 6, 11. 12.

CARMEN VI. (VIII.)

AD MAECENATEM.

METR. VI.

Martiis caelebs quid agam Calendis,
Quid velint flores et acerra turis
Plena, miraris, positusque carbo
Cespite vivo,
Docte sermones utriusque linguae:
Voveram dulces epulas et album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae, fumum bibere institutae
Consule Tullo.

CARM. VI.

Horatius hoc brevi et subito scripto carmine familiariter Maecenatem invitat ad diem hilariter secum celebrandum, quo singulari deorum beneficio vita servatus est, in memoriam scilicet diei illius, quo Horatius Calendis Martiis improviso in horto suo arboris alicuius casu paene exstinctus esset. cf. supr. Od. II, 13. III, 4, 27.

v. 1. *quid agam*, moliar; nos: *was ich beginne*. — *caelebs*, ego, qui non consors sed exsors sum connubii; non caelibes enim, sed coniugio iuncti Calendis Martiis celebrare solebant *Matronalia*, Ovid. Fast. III, 170 sqq. Tibull. III, 1, 1.

v. 2. *acerra turis*, turibulum.

v. 5. *Docte sermones utr. ling.* tam Graecarum quam Latinarum litterarum cognitione largiter imbute, pro vulgari: vir doctissime; *sermones* non tantum quae ore pronuntiantur, sed etiam quae disputantur, disserantur, et chartae mandantur, libri, commentationes. infr. Epist. II, 2, 60. *sermones Bionei*, satirae.

v. 6—7. *Voveram* cett. sensus: Ne mireris, ego causam, ex qua laetum convivium apparo, tibi aperiam. Cum olim Calendis Martiis paene ad Orcum missus essem arboris in horto ictu, in servatae vitae memoriam ego Baccho (*laetitiae datori* Virg. Aen. I, 734. vel poetarum patrono) vovi album caprum quotannis mactandum, dulces epulas amicis in mensa apponendas, et melioris notae vinum depromendum. — *album*, color *albus* rei faustae et laetioris insigne est.

v. 9. *anno redeunte*, pro vulgari: quotannis.

v. 11. *fumum bibere institutae*, amphorae ad fumum bibendum in superiore *aedium* parte poni sole-

Sume, Maecenas, cyathos amici
Sospitis centum, et vigiles lucernas
Perfer in lucem; procul omnis esto
Clamor et ira.
Mitte civiles super Urbe curas:
Occidit Daci Cotisonis agmen;
Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis;
Servit Hispanae vetus hostis orae,
Cantaber, sera domitus catena;
Iam Scythae laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere;
Dona praesentis cape laetus horae, et
Linque severa.

bant apud veteres, ut vinum lenius et mitius redderetur. vid. *Schneider.* in Comment. ad Columell. de Re Rustic. I, 6. §. 20.

v. 14. *et vigiles* cett. *vigiles lucernas in lucem perferre* eleganter pro vulgari: nocturnum convivium ad lucem usque producere, nos: *bis an den frühen Morgen aushalten.*

v. 17. *Mitte civiles* cett. Maecenas enim, dum Augustus aberat in bello, rebus civilibus curandis praefectus fuerat. Tacit. Annal. VI, 1.

v. 18. *Occidit* cett. exercitus Dacorum, ab ipsorum rege ductus, fusus et fugatus fuerat a Lentulo. vid. Sueton. Octav. 21. Flor. IV, 12.

v. 19—20. *Medus infestus.* Medi, qui inter se dissident et armis se invicem petere coeperunt, in tristi (*luctuoso*) rerum statu trepidant.

v. 21. *Servit*, imperio Romano subiectus est.

v. 22. *Cant. s. d. cat.* sub Agrippae auspiciis. Dio LIII, 25.

v. 25—26. *Negligens, ne* cett. Haud curans timensque, ne ratione aliqua in periculum adducatur Romana civitas, noli in cura, qua saluti reipublicae Romanae prospiciatur, esse nimius. — Quamvis *Maecenas* nunc Urbi Praefectus erat, ut iam observavimus, tamen vocatur *privatus*, quia sic dici solebant, qui belli non participes domi fungebantur magistratibus. vid. *Ernest.* in *Clav. Cic. s. v. privatus.*

CARMEN VII. (IX.)

CARMEN AMOEBAEUM.

METR. II.

Horatius.

Donec gratus eram tibi,
Nec quisquam potior brachia candidae
Cervici iuvenis dabat:
Persarum vigui rege beatior.

Lydia.

Donec non alia magis
Arsisti, neque erat Lydia post Chloen:
Multi Lydia nominis
Romana vigui clarior Ilia.

Horatius.

Me nunc Thressa Chloe regit,
Dulces docta modos et citharae sciens,
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animae fata superstiti.

Lydia.

Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti,
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

CARM. VII.

Insigne exemplum de ratione, qua duo amantes post mutuam suspectae fidei exprobrationem brevemque altercationem redire soleant in gratiam; simillimum exemplum dedit *grande Germaniae decus Kleistius — Die Versöhnung: Damoet und Lesbia.*

v. 2. *potior*, prae me, mihi praelatus.

v. 4. *vigui*, elegantius pro: fui.

v. 5—6. *non alia magis Arsisti. ardere aliqua* pro: *ardere ob aliquam*, ut infr. Od. IV, 11, 33. *Non enim posthac alia calebo Femina*, pro: calebo ob aliam feminam; et sic *furere aliqua* Epod. XI, 6.

v. 9. *me regit*, mea est domina.

v. 12. *animae*, de Chloe, quae Horatio est ipsa vita vel anima carior.

Horatius.

Quid? si prisca redit Venus,
Diductosque iugo cogit aëneo?
Si flava excutitur Chloe,
Reiectaeque patet ianua Lydiae?

Lydia.

Quamquam sidere pulcrior
Ille est, tu levior cortice et improbo
Iracundior Hadria:
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

CARMEN VIII. (XIII.)

AD FONTEM BANDUSIUM.

METR. IV.

O fons Bandusiae, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus

v. 21. *sidere pulcrior*, sic pulchrae puellae inf. Od. III, 15, 6: *stellae candidae* dicuntur.

CARM. VIII.

Non pauci fontes tam ob eorum amoenum situm, quam ob aquae ex iis scaturientis salubritatem nobilitati sunt poetarum carminibus. Itaque Horatius quoque *Bandusiam* (dictum ita a *Bandusia*, regione Sabinensi, ubi saepius Horatius quaviter in villa sua delitescere solebat) haud indignum habuit, cuius nomen singulari laude ad posteritatem propagaret. Quod quidem ut eo maiore quasi solemnitate fieret, sacrificium in fontis Bandusii honorem rite instituendum indixit in hoc carmine.

v. 1. *splend. vitro*, quae sunt perlucida, cum vitri perlucidi splendore comparari solent; sic *ros vitreus*, *amnis vitreus* cett.

v. 2—8. *Dulci digne mero* cett. ex hoc loco discimus merum, quo fere fontes apud veteres divinitus culti fuerint: vinum libabatur, floribus nexae corollae fontibus immittebantur, victima mactabatur. — *haedo*, *cui frons* cett. Egregia et magna poeta digna descriptio invenis haedi, cuius submascens libido capras petere incipit. — *Cui frons* cett. observa inversam orationem pro vulgari: quem frons primis cornibus turgida ad Venerem et proelia destinat, h. e. qui, cum frons primis cornibus turget, in Venerem et proelia ruit.

v. 6. *Frustra*, sed frustra ille sortem suam effugiet, nam cett.

Primis et Venerem et proelia destinat:
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae
Nescit tangere; tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Praebes et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis, unde loquaces
Lymphae desiliunt tuae.

CARMEN IX. (XVI.)

AD MAECENATEM.

METR. III.

Inclusam Danaen turris aënea
Robustaeque fores et vigilum canum

v. 10. *Te nescit tangere*, non potest te tangere; ut in trito illo: *nescit vox missa reverti.*

v. 13. *fontium*, Graeco more, sc. unus.

v. 14—16. *Me dicente cavis* cett. en! lucidis coloribus adumbratam imaginem fontis, cuius aqua desuper e saxo, quod frondosa quercus obumbrat, inter rauca murmura desilit.

CARM. IX.

Sententiam „*auri vim et potentiam perrumpere et vincere omnia*," saepius a probis tam solutae quam ligatae orationis scriptoribus prolatam, experientia confirmatam et novis usque exemplis bene munitam, Horatius in hoc carmine nero ornatu novisque poetae lyrici virtutibus exsecutus est. Ipse poeta *nudus nil cupientium castra petit*, et se cum iis, qui auri et divitiarum contemtores vivant, felicem praedicat.

v. 1—8. *Inclusam Danaen* cett. Elegante verborum tum delectu quam iunctura poeta expressit sententiam hanc: „Acrisius filiam suam Danaen, ne illa pareret nepotem, qui secundum oracula avo paraturus esset perniciem, inclusam tenuit in turri aënea, tam firmiter munita, ut aditus in illam cuique interclusus esset; sed viderunt de hac patris cura Venus et Iupiter, probe scientes auri vim et potentiam penetrare in loca munitissima. Vide de hac re et de rege Argivorum Acrisio Apollod. II, 4.

Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem pavidum, Iupiter et Venus
Risissent: fore enim tutum iter et patens
Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo. Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo, et subruit aemulos
Reges muneribus. Munera navium
Saevos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam
Maiorumque fames. Iure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
Ab Dis plura feret. Nil cupientium

v. 3. *munierant satis*, scil. ut videbatur.

v. 6. *Venus*, ut Iovi in hac re adiutrix.

v. 8. *pretium*, apposite pro auro, quia custodes Danaes *auro*, ut mercede pretiosiore, corrupti sunt. Vulgo Iupiter per tecta sive *tegulam* (Terent. Eunuch. III, 5, 40.) in turrem aëneam se demisisse dicitur.

v. 10. *amat*, non simpliciter pro: *solet*, sed de rebus, quae naturali quadam indole vel impetu fiunt.

v. 11. *auguris Argivi domus*, Amphiarai, cuius clades ab *auro* (ab aureo nempe monili) repetenda est. Nam cum Amphiaraus, quem ut augurem et vatem haud fallebat sors, quae eum in bellum Thebanum profectum maneret, domi sese occultasset, ab ipsius uxore Eriphyle, *monili aureo* a Polynice corrupta, inde protractus est.

v. 14. *vir Macedo*, Philippus, Alexandri pater, de quo Cic. ad Attic. I, 16. *omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus auro onustus adscendere posset.* — *subruit aem. R. mun.* muneribus obruit, sibi subiectos vel obstrictos reddit. — *aemulos*, parem gloriam et dignitatem affectantes.

v. 15. *munera nav. saev. illaq. duces.* innuit Hor. rem tum satis notam, ubi duces navium muneribus se corrumpi passi sunt. — Sunt qui Horatium *Menedorum*

Nudus castra peto, et transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemtae dominus splendidior rei,
Quam si, quidquid arat impiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae, silvaque iugerum
Paucorum, et segetis certa fides meae,
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit. Sorte beatior,
Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis:
Inportuna tamen Pauperies abest,
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,

vel *Menam* respexisse putent. vid. Dio XLVIII, 45. XLIX, 1. *Menedorus* scilicet a Pompeio ad Augustum defecisse, sed deinde ad partes Pompeii rediisse traditur.

v. 25—27. *Contemtae domin.* cett. Ego possessor rei, quae in pusillo poni solet pretio, magis mihi exsplendescere videbor, quam si ingentes in Apulia frumentorum copias servarem in horreis meis conditas.

v. 28. *Magnas inter opes inops.* paucis vocibus Horatius egregie designat naturam et conditionem divitum; *pecunia* non possessori suo paret ut domino, sed ei ut servo suo imperat; et sic avari divites facete dicuntur *inter opes inopes.*

v. 29—36. Sensus huius loci perperam olim et distincti et expliciti est fere hic: Dulcissimam illam voluptatem, qua perfunditur is, qui vel limpidam aquam in rivo aliquo desilientem conspicit, vel in paucorum iugerum silva, quam possidet, ambulat, vel de agelli sui fertilitate laetatur, haud novit sentitque vir dives et potens in fertili Africa. Ego multo sum illo beatior. Quamquam enim non apes mella mihi colligunt in Calabria, nec vinum Formianum vetustatem contrahit in amphora, nec oves mihi gerunt in pinguibus Galliae pascuis praestantioris lanae vellera, tamen non premit me molesta pauperies.

v. 31. *Sorte beatior*, sc. sum.

v. 34. *Laestrygonia in amph.* intellige vinum Formianum, a *Laestrygonibus*, regionem ad oppidum *Formias* in Latio incolentibus.

v. 40. *parva vectigalia*, parvus

Quam si Mygdoniis regnum Alyattei
Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa. Bene est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

CARMEN X. (XXI.)

AD AMPHORAM.

METR. VIII.

O nata mecum consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris iocos,
Seu rixam et insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum,
Quocunque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,

possessiones; infr. Sat. II, 2, 100. *magna vectigalia*, possessiones late patentes. Scilicet *vectigalia* non tantum de *publicis*, sed etiam de *privatis* reditibus. Cic. Paradox. 6. *magnum vectigal parsimonia*; ibidem: *ex meo tenui vectigali*. Innuit autem poeta parvum suum in Sabinis agellum. — *porrigam*, tanquam latius porrecta contemplabor.

v. 41. *Mygdoniis*, Phrygiis; *Mygdones*, antiquus Thraciae populus, qui Phrygiae partem occupavit. — *Alyattei*, regis Lydiae, Croesi patris.

v. 42. *continuem. agros continuare* dicuntur, qui totum terrae alicuius tractum ita agris suis occupant, ut omnia rura, inter se iuncta, uno tenore procurrant; cf. Cic. Orat. Agrar. III, 4. Liv. XXXIV, 4.

CARM. X.

Horatius praecipit laetitiam iamiam in Corvini Messalae ad se venturi societate percipiendam. Ante omnia ex horreo vinario in mensam descendere iubet amphoram vini Massici, cuius laudes tam ab ipsa huius vini praestantia, quam ab eius vetustate repetit. Tum in universum vini virtutes, bona et effectus enarrat.

v. 1. *nata*, non proprie ad *testam*, sed ad vinum in testa conditum referendum, et quidem ad annum, quo *Manlius Torquatus* U. C. DCLXXXVII. cum L. Aurelio Cotta consul fuit.

v. 2. *Seu tu querelas* cett. vini enim, quo quis madet, vis tam ad querelas fundendas, quam ad iocos serendos incitare solet.

v. 4. *pia testa*, quae pio erga amicum sensu depromta apponitur.

v. 5. *Quoc. lect. nom. Massicum*, in cuiuscunque vel viri vel amici vel rei alicuius honorem et memoriam lectum atque conditum.

v. 6. *moveri*, eleganter de vino,

Descende, Corvino iubente
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu sapientium
Curas et arcanum iocoso
Consilium retegis Lyaeo;
Tu spem reducis mentibus anxiis
Viresque, et addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices neque militum arma.
Te Liber et, si laeta aderit, Venus
Segnesque nodum solvere Gratiae
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

quod e loco, ubi diu latuit, promovetur, h. e. in medium profertur. — *languidiora*, mitiora, leniora.

v. 9. *Socrat. mad. serm.*, imbutus est praeceptis Socraticis, pro vulgari: quamvis est philosophus.

v. 10. *horridus*, ut asperae severitatis philosophus.

v. 11. *prisci*, priscae aetatis mores sectantis.

v. 13—15. *Tu lene torm.* tu, testa, vini potu (*tormentum lene*) vim lenem, vel medelam lenem admoves (*plerumque*) non raro ingeniis durioribus, h. e. tu ingenia durlora reddis molliora. Similiter infr. Od. III, 28, 4. vinum Caecubum *vim munitae sapientiae adhibere* dicitur. — *tormentum*, hinc *torquere mero* infr. Epist. ad Pis. 435. et Epist. I, 18, 38. *vino tortus*.

v. 16. *arcanum retegis*, nam vini potus arcana elicere solet; inf. Epod. XI, 14. *Simul calentis inverecundus deus arcana promorat loco*.

v. 18. *cornua*, intelligo audaciam, quam quis in corporis robore vel viribus ponit. Ovid. Art. Am. I, 239. *tunc* (post vina) *pauper cornua sumit*, ostendit ferociam, accensi animi fervorem.

v. 22—24. *Segnes nod. solv. Gratiae* cett. Gratiae, quae non facile ad nodum, quo inter se nexae sint, solvendum adduci possint; sensus: Bacchus, Venus, Gratiae et accensa lumina te computationem tam diu producere et continuare iubebunt, donec (ut Propertius IV, 6, 86. canit) *Iniiciat radios in tua vina dies*.

CARMEN XI. (XXIII.)

AD PHIDYLEN.

MĔTR. VIII.

Caelo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle,
Si ture placaris et horna
Fruge Lares avidaque porca:
Nec pestilentem sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem seges
Robiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam, quae nivali pascitur Algido
Devota quercus inter et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima, pontificum secures
Cervice tinguet. Te nihil attinet
Tentare multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore deos fragilique myrto.

CARM. XI.

Poeta Phidylen, quae pro tenui rerum modulo dils exigua tantum et levidensia munera, v. c. corollam, rore marino contextam, offerre poterat, bono animo esse iubet; deos enim non opima et magnifica munera, sed pietatem et animi puritatem respicere. Quis non toto animo veneretur poetam, talia ad divinum cultum spectantia docentem?

v. 1. *supinas manus*. manus dicuntur *supinae*, quae a precantibus retro versae coelum versus exporriguntur; repraesentant igitur supinae manus σχῆμα precantium.

v. 5. *Africum*, cf. supr. Od. I, 1, 15.

v. 7. *Robiginem*. *robigo*, vitium, quod fruges in agris contrahunt, nos: *Brand — aerugo*, *Kupferrost*, *ferrugo*, *Eisenrost*. — *alumni*, gregum vel armentorum suboles.

v. 8. *tempus grave* sc. valetudini. Sic *gravis autumnus* infr. Sat. II, 6, 19.

v. 9—12. *Nam, quae* cett. Sensus: Nam victima lauta et opima non a paupere Phidyle, sed ab opimis sacerdotibus mactabitur.

v. 13. *Tentare*, conciliare tibi deos *parvos*; parva enim erat externa deorum Larium forma et species.

Inmunis aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia
Mollivit aversos Penates
Farre pio et saliente mica.

CARMEN XII. (XXIV.)

IN AVAROS.

METR. II.

Intactis opulentior
Thesauris Arabum et divitis Indiae,
Caementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum,
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos, non animum metu,
Non Mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,

v. 17. *inmunis*, sc. sceleris, integra, pura. Egregie in hanc sententiam Catullus XIX, 9. *Alter, parva ferens manu semper munera larga.*

v. 19. *mollivit*, mollire solet.

CARM. XII.

Postquam Horatius in hoc carmine egit de corruptis Romanorum moribus, de quibus Livius in Proœmio: *Nuper divitiae avaritiam, et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere*, virtutis magistrum agit sapientissimum. Docet enim v. 51 sqq. *elementa pravi cupidinis eradenda, et mentes nimis teneras formandas esse studiis asperioribus.*

v. 1. *Intactis*, nondum attrectatis, integris, ergo thesauris omnibus ac singulis,

v. 3. *Caementis licet occupes.* cf. supr. III, 1, 35. et ibi not.

v. 6. *Necessitas* (*Μοῖρα, Ἀνάγκη, Fatum*) ut dea vincens domansque omnia fingitur. Incedit forma terribili, gestans in altera manu clavos adamantinos, et, quem morti dare vel perdere vult, in eius capite unum clavorum figens; *summis* epitheton ornans, pro: extremis; nisi quis *summos vertices* referre malit ad eos, qui divitiarum suarum splendore percussi insolenter super alios verticem tollunt; certe apud Horatium Od. III, 16, 19. *verticem tollere* est: super alios se efferre.

Vivunt, et rigidi Getae,
Inmetata quibus iugera liberas
Fruges et Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua,
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens,
Nec dotata regit virum
Coniux, nec nitido fidit adultero:
Dos est magna parentium
Virtus, et metuens alterius viri
Certo foedere castitas,
Et peccare nefas, aut pretium est mori.
O quisquis volet impias
Caedes et rabiem tollere civicam,
Si quaeret Pater Urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
Clarus postgenitis, quatenus, heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus invidi.
Quid tristes querimoniae,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges, sine moribus
Vanae, proficiunt, si neque fervidis
Pars inclusa caloribus
Mundi nec Borese finitimum latus

v. 18. *Privignis temperat*, benevolam, benignam, mitem se praebet; *temperare amicis, hostibus, sociis* pro: parcere, apud Ciceronem.

v. 20. *nitido*, externae elegantiae et venustatis studio placere studenti. Infr. Epist. I, 7, 83. *ex nitido fit rusticus*, h. e. qui ruro vivens corporis cultu horrido incedit.

v. 24. *aut pretium est mori*, aut flagitii poena est mors; *pretium*, τιμή, τιμωρία. Terent. Andr. III, 5, 4. *Ego pretium ob stultitiam fero.*

v. 31. *Virt. incol. odimus.* in hanc sententiam comparant Vellei. II, 92. *Praesentia invidia, praeterita veneratione persequimur.*

Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt aequora navitae?
Magnum pauperies obprobrium iubet
Quidvis et facere et pati,
Virtutisque viam deserit arduae?
Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem mali,
Mittamus, scelerum si bene poenitet.
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa, et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit equo rudis
Haerere ingenuus puer,
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Graeco iubeas trocho,
Seu malis vetita legibus alea:
Quum periura patris fides
Consortem socium fallat et hospitem,
Indignoque pecuniam
Haeredi properet. Scilicet improbae
Crescunt divitiae; tamen
Curtae nescio quid semper abest rei.

v. 40. *callidi*, rationis, qua id fiat, probe gnari.

v. 42. *Magnum obprobrium*, pauperies, tamquam res, quae hominibus magno sit opprobrio et contumeliae.

v. 48. *lapides*, unionos.

v. 55. *Nescit equo haerere ingenuus puer*, non didicit puer ingenuus firmiter equo insidere, (rudis) ut puer equitandi imperitus; *haerere*, firmiter equo insidere. Cic. pr. Deiotar. 10. *Itaque Deiotarum cum pluries in equum sustulissent, quod haerere in eo senex posset, admirari solebamus.*

v. 57. *trocho*. *trochus*, circulus aheneus, rotae fere similis, quem pueri ludentes virga ferrea circumagebant, dum annexorum ei circulorum clangore et strepitu delectabantur. — *Graeco*, hinc *graecari* infr. Sat. II, 2, 11. de ludis puerilibus.

v. 60. *consortem*, de mercatore, communem sortem sive commune

CARMEN XIII. (XXVII.)

AD GALATEAM.

METR. VI.

Inpios parrae recinentis omen
Ducat, et praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino
Fetaque vulpes;
Rumpat et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos. Ego, cui timebo,
Providus auspex,
Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis inminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.

negotium cum alio habente. *Francogalli: Compagnon.*

CARM. XIII.

Poeta, certior factus de itinere maritimo, quod Galatea in regiones remotiores facere constituerit, optat quidem toto animo, ut illa faustis avibus proficiscatur, sed idem, anxius et sollicitus de mutabili tempestate, monet eam, ne in rebus dubiis et incertis nimiam ponat fiduciam. Itaque Horatius Galateae exemplum ante oculos ponit Europae, quae nimis levi animo latus doloso tauro credidit. In qua quidem tractata fabula Horatius prodit poeta, omnibus Musarum donis decoratus.

v. 1. *parra* est ignota quaedam avis aquatica, quae iteratis vocibus tempus pluviosum augurari putabatur. Ad animalia, sinistra omina edentia, pertinebant quoque *lupa, feta vulpes* et *serpens.*

v. 3. *ravus*, nos: *grau, fahl.*

v. 5. *Rumpat*, pro: interrumpat.

v. 7. *mannos*, equos parvos, velocitate insignes.

v. 7—12. *Ego, cui timebo* cett. Sensus: Ego, qui timeo, ne Galatea in itinere, quod factura est, pluviosa tempestate opprimatur, ego, inquam, ut providus auspex ab oriente corvum, avem divinitus inminentes imbres augurantem, antequam ille paludes repetat et lavando ominetur malam tempestatem, ad volatum sive in altum suscitabo, ne se ad lavandum in paludes recipere possit. Ceterum quod veteres statuebant de corvis lavantibus, idem nostra aetate rustici et alii de columbis lavantibus statuunt. — *stantes*, quietas, ubi *stans aqua* lavationi opportuna est.

Sis licet felix, ubicunque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas,
Teque nec laevus vetet ire picus
Nec vaga cornix.
Sed vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. Ego, quid sit ater
Hadriae, novi, sinus, et quid albus
Peccet Iapyx.
Hostium uxores puerique caecos
Sentiant motus orientis Austri et
Aequoris nigri fremitum et trementes
Verbere ripas.
Sic et Europe niveum doloso
Credidit tauro latus, et scatentem
Belluis pontum mediasque fraudes
Palluit audax;
Nuper in pratis studiosa florum et
Debitae Nymphis opifex coronae,
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.
Quae simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten, Pater o, relictum
Filiae nomen pietasque dixit,
Victa furore!
Unde? quo veni? Levis una mors est
Virginum culpae. Vigilansne ploro
Turpe commissum? an vitiis carentem
Ludit imago

v. 17. *trepidet*, festinet, ruat; *Orion pronus*, occasum versus, ut supr. I, 28, 21. *devexus*. — *novi*, experientia edoctus sum.

v. 19. *albus*, coelum album vel serenum reddens.

v. 24. *verb.* verberibus fluctuum.

v. 25. *et*, pariter, pari levitate, qua tu te credis tempestatis inconstantiae.

v. 33. *Centum potentem Oppidis Creten*, ἑκατόμπολιν. Infr. Epod. IX, 29. *centum nobilem Cretam urbibus*.

v. 34. *Pater o, relictum Filiae nomen*, pro vulgari: o pater, o nomen, quod a filia (*relictum*) ex animo deletum est; infr. v. 49. *Impudens liqui patrios Penates*.

Vana, quae porta fugiens eburna
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc iuvencum
Dedat iratae, lacerare ferro, et
Frangere enitar modo multum amati
Cornua monstri!
Impudens liqui patrios Penates,
Impudens Orcum moror! o Deorum
Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda leones!
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneraeque succus
Defluat praedae, speciosa quaero
Pascere tigres.
Vilis Europe, pater urguet absens;
Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zona bene te secuta
Laedere collum.
Sive te rupes et acuta leto
Saxa delectant, age, te procellae
Crede veloci; nisi herile mavis
Carpere pensum,
Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae paelex. Aderat querenti

v. 42. *Somnium ducit*, producit, profert, fingit. *Somnia*, ut fluxit antiquitas, ex inferis prodeunt, *vera* quidem per portam *corneam*, *falsa* per portam *eburneam*. Homer. Odyss. XIX, 562. Vid. *Heyn.* in *Excurs.* XV. ad Virg. Aen. VI.

v. 50. *Impudens Orcum moror*, qui diutius vel ultra vitae terminum in terra vivit, *Orcum*, *fata*, *annos*, *mortem* cett. *morari* dicitur; v. *Burm.* ad Virg. Aen. II, 648.

v. 53—55. *decentes*, pulchras, venustas, roseas. — *teneraeque* cett. et mihi corporis succus exarescat, quae praeda futura sum tigribus; *tenerae praedae* eleganter pro: mihi. — *speciosa*, corporis obesi specie salivam tigrium movens.

v. 59. *bene*, satis salse pro: opportune vel ad bonum usum te secuta.

v. 60. *laedere*, frangere.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus,
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere aequus; cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos
Stirpesque raptas et pecus et domos
Volventis una, non sine montium
Clamore vicinaeque silvae,
Quum fera diluvies quietos
Inritat amnes. Ille potens sui
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse, Vixi: cras vel atra
Nube polum Pater occupato,
Vel sole puro: non tamen inritum,
Quodcunque retro est, efficiet, neque
Diffinget infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna saevo laeta negotio et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

v. 31—32. *Ridetque, si* cett. et ad stultos refert mortales, qui ultra fas de rebus futuris anguntur et cruciantur.

v. 32. *Quod adest, memento componere aequus*, quod adest, id debes, ut aequus rerum aestimator, recte collocare; hoc est aureum illud Graecorum praeceptum: τὸ παρὸν εὖ θέσθαι, de quo vid. *Hemsterhus.* ad Lucian. T. I. p. 544. Gu. de Select. capi. 3. *Quod adest, ei decet uti.*

v. 45 sqq. *non tamen inritum.* in sententiam „semel facta infecta fieri non posse" similia ad hunc locum exempla protulerunt *Interpretes.*

v. 48. *Quod fug. s. hor. vexit*, quod tempus celeriter transfugiens semel secum avexit et abstulit, h. e. quod semel peractum est.

v. 49. *Fort. saev. laet. neg.* de Fortunae γελοιασμῷ vid. *Mitsch.* ad h. l.

v. 50. *pertinax ludere*, Graece pro: pértinax in ludendo ludo ins. — *insolentem*, malitiosam, insolenter et proterve adhibitum.

Laudo manentem; si celeres quatit,
Pennas, resigno quae dedit, et mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quaero.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces
Addant avaro divitias mari.
Tum me, biremis praesidio scaphae
Tutum, per Aegaeos tumultus
Aura feret geminusque Pollux.

v. 53. *si celeres quatit Pennas*, eleganter pro: si aufugit, terga vertit.

v. 54. *resigno*, reddo, translatum e re pecuniaria, ubi *resignare* est: aliquid *reddere* per *attributionem*, sive, ut Nostrates loquuntur, per *assignationem*.

v. 55. *Virtute me involvo*, uti philosophi se pallio involvere solebant.

v. 59. *votis pacisci*, pro vulgari vota nuncupare; qui rogata impetraverat, is votorum *reus* vel *damnatus* solvere debebat, quibus se obstrinxerat.

v. 61. *mari avaro*, omnia devoranti, absumenti.

v. 64. *geminus Pollux*, gemini Dioscuri, Castor et Pollux. Supr. Od. I, 3, 2. *Fratres Helenae, lucida sidera*, navigantibus propitia.

Q. HORATII FLACCI
CARMINUM LIBER QUARTUS.

CARMEN I. (II.)
AD IULUM ANTONIUM.
METR. VI.

Pindarum quisquis studet aemulari,
Iule, ceratis ope Daedalea

CARM. I.

Hoc carmen, si quod aliud, lectorum animos vel maxime Horatio conciliat. Is enim ab *Iulo Antonio*, Triumviri ex Fulvia filio, rogatus, ut res praeclare ab Augu-

Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore;
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit numerisque fertur
Lege solutis;
Seu Deos regesve canit, Deorum
Sanguinem, per quos cecidere iusta
Morte Centauri, cecidit tremendae
Flamma Chimaerae;

sto in bello Germanico gestas carmine Pindarico celebraret, hanc sibi delatam provinciam incomparabili fere modestia repudiat; se enim poetam tenuem et pusilli ingenii excelsum et sublimem poetam Pindarum imitari non posse ait; hunc sublimioribus carminibus, quae nominatim recenset, aeternam sibi comparasse gloriam; se poetam parvum, parvae api similem, huc illuc tantum circumvolitare et dulces florum succos delibare; qua quidem professione nihil modestius, nihil magnificentius, ab Horatio dici potuit. Nam quod Horatius se praestare non posse simulat, id in hoc ipso carmine splendidissime praestitit.

v. 2. *cer. op. Daed. Nit. pennis*, exquisite pro vulgari: is, sicut Icarus, utitur alis Daedali (*ope*) opera et arte e cera compositis.

v. 3. *vitreo daturus Nom. ponto.* Ovid. Trist. I, 1, 89—90. *Dum petit infirmis nimium sublimia pennis Icarus, Icariis nomina fecit aquis.*

v. 5—9. *Monte decurr.* Pindarus, ore profundo prorumpens, fervet et aestuat, sicut amnis, qui ripas transgressus monte decurrit, laurea corona cingendus h. e. magni poetae honore celebrandus, seu — seu cett.: iam enumerat carminum genera, quibus Pindarus excelluit; scripsit scilicet 1) *Dithyrambos*, 2) *Paeanas* (Hymnos et Encomia), 3) *Epinicia* (laudes Hieronicarum), quae sola aetatem tulerunt, 4) *Epicedia* (θρήνους). De *carminum Dithyrambicorum* natura et indole nihil certi constitui potest; id tantum constat, ea, haud certis numerorum legibus adstricta, in sacris Bacchicis a percitis furore decantata fuisse. Hinc Pindarus v. 11. *numeris fertur Lege solutis.*

v. 14. *Deorum sanguinem*, heroes, *per quos* cett. intellige Theseum et Pirithoum.

v. 15. *tr. Chimaerae.* hoc monstrum (Ovid. Met. IX, 648. *Pectus et ora leae, caudam serpentis*

Sive, quos Elea domum reducit
Palma caelestes, pugilemve equumve
Dicit et centum potiore signis
Munere donat;
Flebili sponsae iuvenemve raptum
Plorat, et vires animumque moresque
Aureos educit in astra nigroque
Invidet Orco.
Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus; ego, apis Matinae
More modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.
Concines maiore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum, merita decorus
Fronde, Sygambros:
Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere bonique Divi,

habebat) in vestibulo Orci stabulare fingitur.

v. 17—20. *Sive, quos* cett. sive canit Hieronicas, divino honore Elide, ubi celebrabantur ludi Olympici, reversos.

v. 21—24. *Flebili sponsae* cett. sive flebili carmine solatur miseram puellam, cui sponsus ereptus est morte; sive canit Elegos vel Epicedia.

v. 25—28. *cycnum*, simpliciter passim pro poeta; ut supr. I, 6, 2. *ales*. — *Dircaeum*, Thebanum, a fonte *Dirce* in Boeotia.

v. 27. *Matinae*, a monte Matino, non procul ab Horatii patria, Venusia, sito.

v. 32. *operosa carmina*, quibus elimandis vel fingendis multum operae impendebat Horatius, vel, ut loquitur ille in Sat. I, 10, 71., ubi in versu faciendo saepe caput scabebat et vivos ungues rodebat. — *parvus* — *fingo*, accommodate ad imaginem *apis*.

v. 34. *quandoque*, pro: quandocunque, vel simpliciter pro: quando.

v. 35. *merita fronde*, corona lau-

Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines laetosque dies et Urbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meae (si quid loquar audiendum)
Vocis accedet bona pars, et, o sol
Pulcer, o laudande, canam, recepto
Caesare felix.
Tuque dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis
Tura benignis.
Te decem tauri totidemque vaccae,
Me tener solvet vitulus, relicta
Matre, qui largis iuvenescit herbis
In mea vota,
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium lunae referentis ortum,
Qua notam duxit, niveus videri,
Cetera fulvus.

rea. — v. 36. *Sygambros*, gentem Germaniae, eas terras tum incolentem, quas nunc Ducatus Montensis, Comitatus Marchiae et pars Cliviae obtinent.

v. 40. *in aurum priscum*, in ea tempora, quibus olim florebat aetas aurea.

v. 43. *forumque Litibus orbum.* tempus, quo non iurisdictio vel publica iudicia exercebantur, vocabatur *iustitium.*

v. 57—60. *Fronte curv.* — *referentis* cett., ostendentis in fronte niveam notam falcatae formae, qua post diem novae lunae tertium conspicitur, lucentis similem. — *niveus videri* (λευκὸς ἰδέσθαι vel ὁρᾶσθαι), ut supr. Od. I, 19, 8. *vultus lubricus adspici.*

CARMEN II. (IV.)

DRUSI LAUDES.

METR. VIII.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit expertus fidelem
Iupiter in Ganymede flavo,
Olim iuventas et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium,
Vernique, iam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus
Venti paventem, mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus,
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnae;

CARM. II.

Horatius, quantum polleret in celebrandis virorum fortium virtutibus, egregie probavit hoc carmine, quod versatur in laude duplice. Primum scilicet magnis laudibus extollit Drusi Neronis, privigni Augusti, gloriam fortitudinis, qua ille victor Rhaetorum extiterat; deinde transit ad laudes Augusti, qui prudente educatione tam Drusi animum doctrinae scientia imbuendum, quam eius pectus fortitudinis robore muniendum curaverat.

Horatius igitur in hoc carmine duas virorum fortium laudes scite inter se coniunxit, sive, quod in proverbio dicitur, de eadem fidelia duos dealbavit parietes.

v. 1—18. *Qualem ministrum* cett. Sensus: „Qualem se conspiciendam praebet iuvenis aquila, quae, postquam nido relicto ingentes in aëre gyros duxit, in terram se demittit, ut vel ovium vel draconum praeda famem mitiget; vel quomodo iuvenis leo terrore percellit capream, a qua procul in pascuis conspicitur: talem in bello viderunt Drusum Vindelici." Eiusmodi locis ad simplicitatem revocatis discant tirones orationis sublimitatem a tenuitate distinguere.

v. 1. *ministrum fulminis*, aquilae ad summam altitudinem volatus protulit commentum de fulminum per aquilam Iovi subministrandorum officio.

v. 4. *Iup. in Ganym. flavo*, aquila enim Iovem in rapiendo (*flavo*) formoso puero, Ganymede, adiuvisse fingitur.

v. 6. *laborum inscium*, nondum exercitatum laboribus, sustinendis ab iis, qui volatum tentant.

v. 9. *paventem*, significanter pro: eum. — v. 12. *amor dapis*

Qualemve laetis caprea pascuis
Intenta fulvae matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:
Videre Rhaetis bella sub Alpibus
Drusum gerentem Vindelici; (quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quaerere distuli,
Nec scire fas est omnia;) sed diu
Lateque victrices catervae,
Consiliis iuvenis revictae,
Sensere, quid mens rite, quid indoles,
Nutrita faustis sub penetralibus,
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus et bonis;
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus, neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

atque pugnae, fames et insitus amor luctandi cum reluctantibus draconibus.

v. 16. *dente novo*, admodum acuto iuvenis leonis.

v. 17—28. *Rhaetis* — *Alpibus* — *Vindelici*. — *Rhaeti* terras ad Alpium radices ob oriente meridiem versus, *Vindelici*, proximi Rhaetorum accolae, regionem sub Alpibus septentrionem versus incolebant; hi populi crebras incursiones faciebant in Galliam et Italiam. Drusus contra eos missus non solum Rhaetos in primo statim proelio ad Alpes Tridentinas fudit fugavitque (vid. Dio LIV, 22.), sed pari quoque fortuna *Vindelicos* deinde coniunctim cum fratre suo Tiberio (cfr. infr. Od. IV, 14.), quem collegam quasi ei Augustus addiderat, perdomuit. v. Vell. II, 98.

v. 21—22. *quaerere distuli*, *Nec scire fas est omnia*. haec verba frigent sane et infringunt plane spiritum poeticum; sed Horatius haud dubie causam idoneam habuit, ex qua hanc scriptoris historici animadversionem adspergeret.

v. 24. *revictae*, catervae, quae diu antea fuerant *victrices*, nunc *vicissim* Drusi consiliis *victae* sunt.

v. 26. *nutrita faust. s. pen.*, sapienter exculta et ad virtutem conformata in Augusti aedibus. — *in pueros Nerones*, in puerilem Neronum aetatem fingendam et ad virtutis exercitium adducendam.

v. 31. *imbellem*, columbam mollioris et mitioris naturae.

Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant;
Utcunque defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal
Devictus, et pulcer fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Ceu flamma per taedas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et inpio
Vastata Poenorum tumultu
Fana Deos habuere rectos,
Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum praeda rapacium,

v. 33 — 34. *Doctrina sed v. pr. insitam.* Cic. p. Arch. Poet. c. 7. *Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam confirmatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere existere.*

v. 35 — 36. *Utcunque* cett. ubicunque (*mores*) doctrina, disciplina, bona institutio deficit, ibi (hac culpa) hoc defectu (*bene nata*) bona indoles turpiter negligitur.

v. 37. *Neronibus.* respexit poeta C. Claudium Neronem, consulem, de cuius rebus contra Hasdrubalem in bello Punico secundo gestis agit Liv. XXVII, 43 sqq.

v. 38. *Metaurum flumen,* in Umbria.

v. 41. *alma risit adorea*, alma victoriae luce affulsit Romanis. — *adorea*, far, quod post victoriam aliquam praemii loco accipiebant milites, iam pro ipsa *victoria.*

v. 42. *ut*, postquam, ab eo inde tempore, quo.

v. 44. *equitavit*, summo impetu transiit, vel transvolavit. *Equitare*, ut ἱππεύειν apud Graecos, de ventis, qui concitato impetu furunt et ex uno loco in alium rapiuntur. Hinc Zephyrus apud Catull. LXVI, 54. *ales equus* vocatur, et Eurо apud Virg. Aen. II, 417. *equi Eoi* tribuuntur.

v. 45. *Post hoc*, victo scilicet Hasdrubale.

v. 48. *rectos*, erectos (ἀνορθωμένους), in pristinum honorem restitutos.

v. 49. *perfidus Hannibal.* ad vitia, quae Hannibali adhaeserint, refertur *perfidia* sive fallacia,

Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et effugere est triumphus.
Gens, quae cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis aequoribus sacra
Natosque maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes,
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve submisere Colchi
Maius Echioniaeve Thebae.
Merses profundo, pulcrior evenit;
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Proelia coniugibus loquenda.
Carthagini iam non ego nuntios
Mittam superbos; occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis Hasdrubale interemto.

quo nomine carpitur ille imprimis apud Liv. XXI, 4. — v. 50. *Cervi*, nos sicuti cervi; de omissa particula comparationis *veluti* vel *sicuti* exempla collegimus in Edit. Mai. ad Epist. I, 2, 44. — *opimus*, gloriosus, splendidus, ut *spolia opima*.

v. 55. *maturosque*, *maturo* (ut loquitur Hor. Od. III, 15, 4.) *funeri propiores*, et in Epist. ad Pis. 115. *Maturusne senex*, *an adhuc florente iuventa*.

v. 58. *in Algido*, monte Latii, ubi ilices, quarum frondes vel folia subnigri fere coloris sunt, nascuntur. — *per damna*, per ea, quae deciduntur.

v. 61. *Non Hydra*, sc. Lernaea; fabulam narrat Ovid. Met. IX, 69 seqq.

v. 63. *Monstrumve*. designatur Draco, aurei velleris custos ab Iasone caesus. — *submisere Colchi*, in medium protulit terra Colchica; *submitti* eleganter dicuntur, quae sensim sensimque e terra proveniunt, ut flores, terrae fruges cett.

v. 64. *Echioniaeve*, ab *Echione*, uno spartorum, sive virorum armatorum, qui draconis dentibus a Cadmo satis prodiisse finguntur.

v. 65. *Merses profundo*, quamvis gentem Romanam in profundo demergas.

Nil Claudiae non perficient manus,
Quas et benigno numine Iupiter
Defendit, et curae sagaces
Expediunt per acuta belli.

CARMEN III. (V.)

AD AUGUSTUM.

METR. III.

Divis orte bonis, optime Romulae
Custos gentis, abes iam nimium diu;
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuae, Dux bone, patriae:
Instar Veris enim vultus ubi tuus
Affulsit, populo gratior it dies,
Et soles melius nitent.
Ut mater iuvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris aequora

v. 73. *Claudiae manus*, fortitudo C. Claudii Neronis.

v. 76. *curae sagaces exped. per ae. belli*, sagacitas avertit per ea, quae acute et callide in bellis inveniuntur.

CARM. III.

Expressit poeta in hoc carmine pium amorem, quo populus Romanus Augusti e bello Germanico reditum exspectaret. Hic pius populi Romani amor comparatur cum desiderio piae matris, quae dilecti filii post annuam eius absentiam reditum tanto animi ardore exoptat et suspirat, ut quovis die identidem foras ruat in loca, ubi redeuntem filium prospicere et oculis assequi possit. Fuit autem hic populi Romani erga Augustum amor iustissimus. Augusto enim populus acceptam referebat eam, qua nunc fruebatur, felicitatem, securitatem ab externis hostibus, morum disciplinam, pacem, otium denique, quod pro cuiusque animi sententia vitae iucunditati dicari posset, dulcissimum.

v. 1. *Divis orte bonis*, refer ad Augusti divinitatem, repetitam ab adoptione in gentem Iuliam; hinc ille *custos gentis*, h. e. deus tutelaris. cf. supr. Od. I. 28, 29.

v. 2. *abes iam nimium diu*, per tres ferme annos secundum rationes historicas.

v. 6. *Instar veris en. vultus*, cf. Theocr. VIII, 41.

Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,
Votis ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore demovet:
Sic desideriis icta fidelibus
Quaerit patria Caesarem.
Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres almaque Faustitas;
Pacatum volitant per mare navitae;
Culpari metuit Fides;
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos et lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperae;
Culpam poena premit comes.
Quis Parthum paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fetus, incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Iberiae?
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores;

v. 15. *icta*, eleganter et graviter pro: vehementer acta, percussa. Liv. XXVII, 3. *Consules nova re icti.*

v. 20. *Culpari metuit Fides*, cavet sibi a culpa perfidiae; de elegante usu verbi *metuere* cf. supr. ad Od. II, 2, 7.

v. 22. *lex*, *Iulia* nempe *de adulteriis*. — *edomuit*, exterminavit.

v. 23. *Laudantur sim. pr. puerp.* prolis cum patris ore similitudo antiquitus quoque visa est probare castum coniugium. Catull. Carm. LXI, 21—25. *Sit suo similis patri Manlio, et facile insciis Noscitetur ab omnibus, Et pudicitiam suae Matris indicet ore.*

v. 25—28. *Quis Parthum* cett. pacata sunt omnia! quis, salvo Caesare, exhorrescat populos barbaros? — *Germania horrida*, refer tam ad externum Germanorum cultum et habitum quam ad asperos eorum mores. Sic infr. Epod. XVI, 7. *Germania* dicitur *fera*, ut statim *fera Iberia* de bello Cantabrico.

v. 29. *Condit* (Virg. Eclog. IX, 52. *cantando soles condere*), finit *quisque diem*; simillime apud Virg. Aen. I, 374. *vesper diem componere* (quasi sepelire) dicitur.

v. 30. *viduas arb.* arbor, cuius trunco non annexa est vitis, facete dicitur *vidua*, non *maritata* (infr. Epod. II, 10.), vel ut supr. Od. II, 15, 4. *caelebs* platanus. — *alteris*

Hinc ad vina redit laetus, et alteris
Te mensis adhibet Deum;
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris, et Laribus tuum
Miscet numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.
Longas o utinam, Dux bone, ferias
Praestes Hesperiae! dicimus integro
Sicci mane die, dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano subest.

CARMEN IV. (VI.)

AD APOLLINEM.

METR. VI.

Dive, quem proles Niobea magnae
Vindicem linguae, Tityosque raptor

te mensis adhibet Deum, te mensae secundae advocatum pia libatione ut deum veneratur, *mero defuso* sc. in mensam. Virg. Aen. I, 736. *Dixit* (Dido) *et in mensam laticum libavit honorem.*

v. 37. *Longas ferias*, otium et pacis munera in longum tempus.

v. 39. *Sicci*, nondum madentes vino, sobrii, *mane die integro*, *mane*, ubi dies, nondum parte aliqua de eo demta, *est integer.*

CARM. IV.

Instabat tempus, quo Romae celebrarentur ludi *Saeculares* vel sacra *Saecularia*, quae post centum, vel post centum et decem annos solemni more repeti solebant. Ad hunc morem pertinebat quoque cantus, quo laudes Apollinis et Dianae (quibus ut almis sideribus (Soli et Lunae) agrorum deberetur fertilitas) a puerorum puellarumque choro alternis extollerentur. Horatio igitur (teste in vita Horatii Suetonio) ipse Augustus auctor fuit, ut carmen, a puerorum puellarumque choro alternis canendum, componeret. Nec tergiversatus est Horatius. Immo carmini illi demandato praeluxit hoc carmine, in quo, postquam Apollinis potentiam vivis coloribus descripsit, et spiritum carminisque artem ab eo sibi expetiit, chorum puerorum et puellarum attente se audire et numeros bene tenere iussit.

v. 1—8. Sensus: „Tuam, o Apollo, potentiam experientia edocta cognovit Niobe, quae cum de sex, quos peperisset, filiis et de totidem filiabus insolentius se iactasset et se potiorem Latona, geminorum tantum matre, gloriata esset, Apollinis iram ita movit, ut ille totam Niobes prolem telis con-

Sensit, et Troiae prope victor altae
Phthius Achilles,
Ceteris maior, tibi miles inpar,
Filius quamquam Thetidos marinae
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut inpulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non inclusus equo, Minervae
Sacra mentito, male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
Falleret aulam;
Sed palam captis gravis, heu nefas! heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentem
Matris in alvo,

figeret et exstingueret; tu idem Tityi, qua se Latonae obtrusit, libidinem graviter ultus es; tu denique ipsum magnum Achillem prostravisti."

v. 1. *prol. Niob.* *Niobe*, filia Tantali, uxor Amphionis, regis Thebarum. — *magnae linguae*, magniloquentiae (ὑψηγορίας), iactantiae. Tibull. II, 6, 11. *Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto Excutiunt clausae fortia verba fores.*

v. 3. *Sensit*, scil. dolore gravissimo; simpliciter nonnunquam *sentire* dicuntur, qui ferunt gravissima quaeque vel acerbissima.

v. 4. *Phthius.* Myrmidones, quorum dux fuit Achilles, Phthiotidem, regionem in Thessalia, incolebant.

v. 9 seqq. *Ille velut pinus* cett. Virg. Aen. V, 447—9. *Entellus — Ipse gravis graviterque ad terram pondere vasto Concidit, ut quondam cava concidit aut Erymantho Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.* — *ferrum*, sive bipennis, facete dicitur *mordax*, quae acie sua tanquam acutis dentibus alta vulnera infligit.

v. 14. *Minervae sacra mentito.* simulabant nempe Graeci se ingentis molis equum e ligno fabricatum ex voto Minervae dicare et offerre velle. — *male feriatos — Falleret* cett. Achilles non hanc rationem initurus fuisset, ut equo inclusus Troianos (*male*) imprudenter otio indulgentes, et gentem Priami, saltationibus laetitiam de Graecorum decessu exprimentem, (*falleret*) insidiose opprimeret; *sed palam* cett. — v. 18. *Ne-*

Ni, tuis victus Venerisque gratae
Vocibus, Divom Pater adnuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.
Doctor Argivae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniae defende decus Camenae,
Levis Agyieu.
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis nomenque dedit poetae.
Virginum primae puerique claris
Patribus orti,
Deliae tutela Deae, fugaces
Lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
Pollicis ictum,

scios fari, infantes. cf. Hom. Iliad. VI, 59.

v. 23. *muros ductos*, pro *eductos*, exstructos.

v. 25 seq. Iam Horatius Apollinem, postquam insignem eius potentiam meritis decoravit laudibus, ut Musarum praesidem appellat, et, ut praesens sibi adsit favore et patrocinio suo et pectus poetico spiritu et arte canendi instruat, preces fundit. — *Doctor Argivae* cett. o Apollo, qui Graecae lyrae tam moderator, quam eiusdem artis doctor es, qui pulchros tuos crines lavas in fluvio Xantho (in Lycia), o (levis Agyieu) Apollo, fac, ut carmen Latinum, quod ego in honorem sacrorum Saecularium facturus sum, haud displiceat. — *Doctor Argivae Thaliae*, qui poetas doces canere carmina Graeca Thalia favente. — *qui Xantho lavis amne crines*, designatur Apollinis sedes, Lycia, ubi Apollo in flumine Xantho intonsos crines, qui ad pulchram Apollinis formam referuntur, lavare solebat. — *Dauniae Camenae*, Latini carminis. *Daunia* sita fuit in vicinitate Venusiae, Horatii patriae. — *Levis* (imberbis) *Agyieu*. sic appellabatur Apollo ab ἀγυιᾷ, via, ubi Apollo in sacellis ante aedium fores coli solebat ab Athenienſibus.

v. 29 seqq. Cogita poetam precantem iam inter precandum non irritas suas preces esse sensisse, dum vi poetica ab Apolline iniecta iamiam agitari coepit.

v. 31 — 2. *Virg. pr. puer. cl. P. orti*, chorus enim e pueris virginibusque parentum nobilissimorum componebatur.

v. 35. *Lesbium pedem*, carminis Sapphici numeros. — *poll. ict. pollex* enim percutiendis citharae fidibus adhibebatur.

Rite Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam,
Prosperam frugum celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta iam dices: ego Dis amicum,
Saeculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

CARMEN V. (VII.)

AD TORQUATUM.

METR. IX.

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
Arboribusque comae;
Mutat terra vices, et decrescentia ripas
Flumina praetereunt;
Gratia cum Nymphis geminisque Sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet Annus, et almum
Quae rapit Hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris; Ver proterit Aestas
Interitura, simul

v. 38. *face*, lumine.

v. 39. *Prosperam frugum*, prosperantem agros frugum largitate, secundam agrorum proventui; pertinet *prosper* ad illa adiectiva, quibus praeter morem genitivus iungitur.

v. 41. *iam*, post breve tempus.

v. 43. *Reddidi carmen*, carmen, quod mihi tradiderat (χορῶν διδάσκαλος) magister vel doctor, id ego *reddidi*, decantavi.

CARM. V.

Brevi veris descriptione monet de vitae brevitate *Torquatum*, ut ut supr. I, 4. *Sextium*. — *L. Manlius Torquatus*, consulis, sub quo Horatius natus est, ut videtur, nepos.

v. 3. *Mutat terra vices*, terra induit veris formam.

v. 6. *nuda*, vel proprie, uti repraesentantur in antiquis monumentis *Gratiae*, vel, ut γυμνός apud Graecos, pro: leviter amicta.

v. 9. *proterit*, amovet, tradit. Supr. Od. II, 18, 15. *Traditur dies die*.

Pomifer Auctumnus fruges effuderit, et mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant caelestia lunae;
Nos, ubi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
Pulvis et umbra sumus.
Quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae
Tempora Di superi?
Cuncta manus avidas fugient haeredis, amico
Quae dederis animo.
Quum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria:
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum,
Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

v. 12. *iners* bene respondet naturae hiemis; nam quae ceteris anni temporibus vigebant, plantae, arbores, flores cett., ea hiemali tempore torpor et *inertia* occupat; et sic hiems *bruta* et *pigri campi* supr. Od. I, 22, 17.

v. 13. *damna caelestia*, signa, quae in caelo transeunt, pereunt, occidunt.

v. 17. *hodiernae summae*, sc. dierum peractorum.

v. 19. *Quae dederis animo*. sensus horum verborum est et manet ambiguus; certe *amicus* pro tuus, ut φίλος apud Graecos, explicari nequit, quia in latina lingua exemplum, quod hanc explicationem firmet, deest. Vide, an hic locus explicari possit sic: „Quae concesseris animo, non tibi inimico, sed *amico*;" animus *inimicus* male consulit, ad avaritiam pertinentia fieri iubens; at *animus amicus* bene consulit, ad vitae iucunditatem spectantia suadens.

v. 21. *splendida* refer ad splendidum iudicum apud inferos consessum.

v. 25. *Diana*, castitatis patrona. *Hippolytum pudicum*: non enim Hippolytus, Thesei, regis Atheniensis, filius, Phaedra, noverca, ad incestos amores pellici potuit. vid. *Hygin.* Fab. XLVII. de *Theseo* et *Pirithoo* cf. supr. III, 4, 80.

CARMEN VI. (IX.)

AD LOLLIUM.

METR. VIII.

Ne forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Maeonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricae latent
Ceaeque et Alcaei minaces
Stesichorique graves Camenae;

CARM. VI.

Quod saepius praesentire et iactare solent poetae, famam scilicet et gloriam, quae eorum carmina maneat apud posteros, id ex iis, quae Horatius in hoc carmine professus est, satis apparet. Sed haec apud posteros memoria non spectat tantum ad ipsos poetas, sed etiam ad eos, qui per poetas celebrantur et posteritati traduntur. Nam, ut canit Horatius in hoc carmine v. 25 seqq., *qui carent vate sacro, ii ignoti et inlacrimabiles longa nocte urgentur.* — Quare Horatius eo consilio, ut M. Lollii, a. DCCXXXIII. cum Q. Aemilio, ut videtur, Consulis, virtutes, prudentiam, constantiam, iustitiam, abstinentiam, honestatem et sapientiam posteritati et aeternitati commendaret, se hoc ipsum carmen scripsisse, disertis verbis declarat.

v. 1—33. Sensus et nexus orationis est fere hic: „Noli timere, Lolli, ne carmina mea lyrica, ad quae scribenda ego Latinorum poetarum primus animum appuli, ad interitum vocentur, vel qui in illis celebrati sunt, oblivione obscurentur; quamvis enim ego non inter poetas, sicuti Homerus, primum locum occupo, tamen post Homerum quoque exstiterunt plures, qui laudem, quae poetis debetur, tuerentur et adhuc tueantur. Itaque ego te, Lolli, non inornatum in meis carminibus silebo, sed nomini tuo et tuis virtutibus splendorem apud posteros parabo."

v. 2. *natus*, nempe Venusiae, oppidi in Apulia, ubi fluvius violens et vorticosus, *Aufidus* (cf. supr. Od. III, 30, 10.), trans loca montosa et saxosa ingente sonitu et strepitu volvitur.

v. 3. *Non ant. vulg. p. artes*, ad numeros lyricos, nondum antea a Latinis poetis receptos.

v. 5. *Maeonius.* cf. supr. ad Od. I, 6, 2.

v. 7. *Ceae — Camenae*, Simonides poeta, oriundus insula Cea, in mari Aegaeo inter Cyclades sita. — *Alcaei minaces Camen.* Al-

Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit aetas; spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae.
Non sola comtos arsit adulteri
Crines, et aurum vestibus inlitum
Mirata regalesque cultus
Et comites, Helene Lacaena;
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu; non semel Ilios
Vexata; non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus
Dicenda Musis proelia; non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes inlacrimabiles
Urguentur ignotique longa
Nocte, carent quia vate sacro.
Paullum sepultae distat inertiae
Celata virtus. Non ego te meis

caeus dicitur poeta *minax*, ob carmina in tyrannos Myrtilum et Pittacum, a quibus e patria expulsus fuerat Alcaeus (cf. supr. Od. II, 13.), acerbissima. Sic *iocus minax* pro: acerbus infr. Epist. II, 1, 150.

v. 10—12. *spirat adhuc* cett. amor et amoris curae atque affectus, quos Sappho, puella Aeolia, (cf. supr. Od. II, 13, 24.) fidibus exprimendos commisit, vivunt adhuc et quasi exhalantur; praeclare pro vulgari: Sapphus carmina amatoria adhuc exstant et leguntur.

v. 17. *Cydonio*, Cretico, cf. supr. Od. I, 15, 17.

v. 18. *non semel Ilios*, primum ab Hercule, deinde a Graecis; sed malim *Ilios* pro quavis urbe accipere, quia plures urbes pluries vexatae sunt.

v. 20. *Idomeneus*, dux Cretensium. — *Sthenelus*, auriga Diomedis.

v. 22. *Deiphobus*, Priami filius.

v. 26—27. *sed omnes inlacr.*, sed omnes mortis tenebris pressos ut plane ignotos nemo memorat, nemo lacrimat.

v. 30 — 31. *Paullum sepultae*

Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Inpune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens et secundis
Temporibus dubiisque rectus;
Vindex avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae,
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Iudex honestum praetulit utili, et
Reiecit alto dona nocentium
Voltu, et per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum; rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

cett. vir bonus et virtutibus conspicuus, nisi eius memoria per scripta et carmina ad posteros propagatur, parum differt ab homine ignavo et vulgari, cuius post mortem nemo meminit.

v. 36. *rectus*, erectus, firmus, constans, qui in utraque fortuna non mutat animum.

v. 38. *abstin. Ducentis ad se c. pec.* liber ab omni cupiditate possidendae vel constipandae pecuniae, qua omnes se duci et regi patiuntur.

v. 39—44. *Consulque non unius anni* seqq. nec ille per. unum tantum consulis virtutibus expleadescentis partes egregie explevit, sed idem semper in virtutibus exercendis sibi constitit. — *per obstant. cat. Expl. s. v. arma.* apposite *Lellius* comparatur cum forti milite, qui hostium oppositorum catervam vel cuneum intrepido animo perrumpere tentat; per hostes oppositos intellige vitia, quibus vir bonus fortiter obnititur.

v. 52. *timidus perire.* supr. Od. III, 19, 2. *Codrus, pro patria non timidus mori.*

CARMEN VII. (XII.)

AD VIRGILIUM.

METR. III.

Iam Veris comites, quae mare temperant,
Inpellunt animae lintea Thraciae;
Iam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis et Cecropiae domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula,
Delectantque Deum, cui pecus et nigri
Colles Arcadiae placent.

CARM. VII.

Nemini facile displicebit familiaris et iocosa ratio, qua Horatius Virgilium sē invisere in hoc carmine rogat, hāc posita conditione, ut Virgilius vasculum unguenti nardini secum afferat, dum ipse cadum vini Caleni se appositurum esse spondet. Erat tum tempus veris, cuius brevis descriptio suavissime delectabit lectorum animos. Opportunissime simul in laudem Virgilii mentionem facit carminum, quae tempore veris in agris canuntur a pastoribus, insigni arte adumbratis a Virgilio in Bucolicis.

v. 2. *animae Thraciae*, venti dicti sunt *Thracii* ab iis, quibus septentrionem versus sita fuit Thracia.

v. 5. *Nidum ponit*, scilicet luscinia; in tractata fabula Procnes et Philomelae veteres scriptores variant; Horatius sequitur eos, qui *Procnen* in lusciniam mūtatam esse narrant; *luscinia* enim, non *hirundo*, *flebiliter gemere* dicitur; de diversa huius fabulae narratione vid. *Heyn.* ad Apollodor. III, 14, 8. — *Ityn*, filiolum, quem a se mactatum Procne Tereo epulandum apposuerat. — Nunc quidem secundum Ovidium *luscinia* vulgo in patrio sermone dicitur: *Philomele.*

v. 6. *Cecropiae*, Atticae.

v. 7. *opprobrium*, nos: *Schandfleck.* cf. supr. Od. II, 13, 4.

v. 8. *regum*, Terei.

v. 11. *nigri*, subnigri vel fusci vel furvi fere coloris *colles*, ut supr. I, 21, 7. *nigrae silvae*, apud nos: *Schwarzwald*; incolae silvarum nigrarum, *Schwarz-Wälder.*

Adduxere sitim tempora, Virgili,
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, iuvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpiciis adcubat horreis,
Spes donare novas largus amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quae si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni; non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis,
Plena dives ut in domo.

v. 13 sqq. *Adduxere sitim temp.*, ire coepit tempus, quo excitata sitis largiore haustu compesci solet. *Liberum Calibus pressum*, vinum Calenum, *pressum*, vel prelo vel nudo pede. Ovid. Trist. IV, 6, 20. *Dissiluit nudo pressa bis uva pede.* — *ducere*, cupidius et largius bibere; supr. Od. I, 17, 22. *pocula Lesbii sub umbra ducere*, et sic *arente fauce trahere* infr. Epod. 14, 4., ut ἕλκειν, σπᾶν apud Graecos; vid. *Bergl.* ad Alciphr. I, 31. — *iuven. nob.*, Neronum, ut videtur, Drusi et Tiberii.

v. 16—18. *Nardo vina mereb.*, pro nardo allato accipies apud me vina; nam si vasculum unguentarium tecum attuleris, id me permovebit, ut cadum vini ex caupona vinaria Sulpicii in tuam gratiam arcessendum curem. *Sulpicius* tum nobilis caupo vinarius fuisse videtur.

v. 17. *cad. cadus*, amphora, h. e. vas fictile, in quod e dolio vinum defundi et in eo servari solebat, nos: *Flasche*, Francogalli: *Bouteille.*

v. 18. *horr. horreum*, cella vel apotheca vinaria. Supr. Od. III, 28, 7. *amphoram deripere horreo.*

v. 19. *largus donare novas spes*, graece pro: largiter donans.—*amara curarum*, pro: amaras curas, ut *ardua montium*, *strata viarum* cett.

v. 21 seq. *Ad quae gaudia*, scilicet in laeta compotatione amoeno veris tempore apud me percipienda. — *cum tua merce*, facete et eleganter pro: cum parvo onyche, (*merce* quasi) pretio quasi h. e. re quasi offerenda, cuius dulcedo cum alius rei dulcedine permutetur; *velox*, veloce cursu, quamprimum.

v. 22. *non ego meditor*, non mihi in mentem venit, nos: *ich bin nicht Willens*, *ich habe nicht Lust.* — *meis poculis te tinguere*, meo vino te madefacere, rigare, uvidum reddere, explere, *immunem*, ad compotationem nihil muneris, nihil pretii conferentem, pro: gratuitum.

Verum pone moras et studium lucri,
Nigrorumque memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

CARMEN VIII. (XIV.)

AD AUGUSTUM.

METR. VIII.

Quae cura Patrum, quaeve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos memoresque fastus
Aeternet? o, qua sol habitabiles
Inlustrat oras, maxime principum,

v. 25. *studium lucri*, depone studium, quod lucro faciendo impendis; quale negotiorum genus intellexerit Horatius, ignoramus; Virgilius certe non fuit poeta mercenarius. Idem Noster supra Od. III, 8. sub fine duabus vocibus expressit: *Linque severa.*

v. 28. *Dulce est desip. in loco*, cf. supr. Od. II, 7. sub fine.

CARM. VIII.

Horatius Nerones, duos fratres, Drusum natu minorem, et Tiberium natu maiorem, Augusti privignos, ut viros fortissimos duobus carminibus celebravit; Drusum quidem, ut victorem Rhaetorum, supra in huius libri carmine quarto, Tiberium, ut victorem Vindelicorum, in hoc carmine. Hanc egregiae fortitudinis laudem repetit imprimis poeta a sapiente educatione, tanquam a fonte, e quo Drusi et Tiberii apud Augustum educatorum virtutes fluxerint. Potest autem ex hoc carmine intelligi, quomodo poetae tam ingenii ubertate et doctrina, quam artis poeticae exercitio et scientia praestantes, unam eandemque rem exornare et variis diversisque coloribus pulchre distinguere calleant.

v. 2. *plenis honorum*, plane honoribus, quibus tu dignus es, respondentibus.

v. 3. *in aevum*, in tempora futura, et quidem *aeterna*, quod latet in voce *aeternet.*

v. 4. *Per titulos*, per laudes aeri vel statuis incisas; *tituli*, inscriptiones, laudes alicuius denuntiantes. Horat. Sat. I, 6, 17. *qui stupet in titulis et imaginibus.* Liv. lib. XXVIII. sub fine: Hannibal *aram condidit dedicavitque cum ingenti rerum a se gestarum titulo, Punicis Graecisque literis insculpto.* — *memores*, rerum gestarum laudes memorantes.

Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genaunos, inplacidum genus,
Breunosque veloces et arces
Alpibus inpositas tremendis
Deiecit acer plus vice simplici.
Maior Neronum mox grave proelium
Conmisit, inmanesque Rhaetos
Auspiciis pepulit secundis;
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis,
Indomitus prope qualis undas

v. 7. *leg. expert. Latinae*, nondum parentes Romani imperii legibus.

v. 8. *didicere*, experientia cognovere, *Quid Marte posses*, quanta tua esset fortitudo; sic *sensere* supr. IV, 4, 25.

v. 9. *milite nam tuo*, eo exercitu, quem tu conscripsisti et ad artem militarem conformasti; observa, quam avide et ambitiose poeta unamquamque in laudes Augusti excurrendi occasionem captet et arripiat.

v. 10 — 12. *Genaunos Breunasque*, populos, incolentes regiones vicinas Rhaetis et Vindelicis, eorumque socios. Vid. de iis *Mannerti Germania* pag. 669. — *veloces* refer ad currendi velocitatem. — *tremendis*, altitudine sua horrorem vel tremorem incutientibus.

v. 13. *plus vice simplici*, plus una vicissitudine, h. e. plus uno ultionis, cladis vicissim illatae vel poenae genere; hinc *reddere* vel *referre vicem*, pro: par pari referre.

v. 16. *Auspiciis secundis*, sub prospero tuo, Auguste, imperio, vel ut vers. 33. *Te copias, te consilium et tuos praebente Divos.*

v. 17. *Spectandus*, magna admiratione conspiciendus.

v. 20 seq. pro *indomitas* dedi cum *Bentleio Indomitus*: aptius enim impetus Tiberii, cui resisti non poterat, cum Austro, domari et compesci nescio, quam cum undarum impetu et fluctibus comparatur. — Sensus huius loci: Tiberius tali impetu in hostes ruit, quali, postquam chorus Pleïadum (sidus septem stellarum) e scissis nubibus prodiit (sidus Pl. ortum est, cuius ortus procellosam tempestatem praenuntiare putabatur), Auster in undas ruere easque invertere solet. — *Pleïades*, septem Atlantis filiae, inter stellas relatae et in humeris Tauri inter se iunctae.

Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas et frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni praefluit Appuli,
Quum saevit horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris:
Ut barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor,
Te copias, te consilium et tuos
Praebente Divos. Nam, tibi quo die
Portus Alexandrea supplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus adrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae;

v. 22. *impiger*, fortis. supr. Od. IV, 8, 30. *Iupiger Hercules.*

v. 24. *medios per ignes*, διὰ πυρός, per pericula praesentissima. Sil. Ital. XV, 41. *Per medias vellitare acies medios que per ignes.*

v. 25. *tauriformis.* fluviis ad eorum vim et robur designandum tribuuntur tauri *cornua.*

v. 26. *praefluit*, pro: praeterfluit.

v. 28. *meditatur*, sc. inferre, parat.

v. 34. *Nam* cett. Sensus: nam ab eo inde tempore, quo Alexandria, supplex ad pedes tuos prostrata, portus aperuit, et aulam vacuam tibi patefecit, bellorum prosperrimus eventus iam tertio lustro novum semper gloriae tuae splendorem addidit. — *vacuam.* Antonius enim cum Cleopatra, cum Alexandriam ingrederetur Augustus, in Mausoleum confugerat.

v. 42. *profugus Scythes*, cf. supr. ad Od. I, 35, 9.

Te, fontium qui celat origines,
Nilusque et Ister, te rapidus Tigris,
Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,
Te non paventis funera Galliae
Duraeque tellus audit Iberiae;
Te caede gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.

CARMEN IX. (XV.)

AUGUSTI LAUDES.

METR. VIII.

Phoebus volentem proelia me loqui
Victas et urbes increpuit lyra,
Ne parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua, Caesar, aetas

v. 45. *Te, font.* iam Horatius poetarum more per fluvios terras, quas Augustus potestati suae subiecit, designat remotissimas. *Nilus, qui celat origines.* Nili fontes, a recentioribus investigatos, ignorabant veteres.

v. 47. *belluosus Oceanus*, belluis sive balaenis scatens, *μεγαχήτης*. Plin. IX, 5.

v. 48. *Britannis.* de subactis ab Augusto *Britannis* supr. Od. III, 5, 3. *adiectis Britannis Imperio.*

v. 49. *Galliae non paventis funera.* de Gallis mortem in bellis non expavescentibus Caes. B. G. VI, 14.

v. 50. *audit*, sc. iussa tua, h. e. paret, imperio tuo se submittit.

v. 52. *compositis armis*, bello composito.

CARM. IX.

Quemadmodum valde displicent isti, qui nec praestant nec praestare possunt, quod se praestare velle largo oris hiatu promittunt: ita suavissime delectat modestia illorum, qui rem, cui perficiendae se impares profitentur, strenue et egregie perficiunt. Posterius in hoc carmine exsecutus est Horatius. Dum sedet ille et defixus est in meditatione componendi carminis, quo res praeclare ab Augusto gestas celebraret, ecce repente adest Phoebus, qui poetam de audacia rei, quam ille moliatur, increpat et ab ea revocat. Nihilominus tamen Horatius res ingente gloria ab Augusto gestas mira arte in hoc carmine tanquam in tabula descriptas proposuit, vel brevi historia complexus est.

v. 1—4. *Phoebus volentem* cett. iunge: *Phoebus me, volentem lyra loqui proelia et urbes victas, increpuit, ne* cett. *lyra loqui*, lyra canere. supr. Od. IV, 9, 4. *verba*

Fruges et agris retulit uberes,
Et signa nostro restituit Iovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis
Ianum Quirinum clusit, et ordinem
Rectum evaganti frena Licentiae
Iniecit, emovitque culpas,
Et veteres revocavit artes,
Per quas Latinum nomen et Italae
Crevere vires, famaque et imperi
Porrecta maiestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Caesare, non furor
Civilis aut vis exiget otium,
Non ira, quae procudit enses
Et miseras inimicat urbes.

chordis socianda loqui. — *increpuit. increpare* iam dicitur, qui rem aliquam gravius carpit simulque monet, ne cett. Similiter Phoebus apud Virgilium Eclog. VI, 3, 4. *Cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem Vellit et admonuit* cett. — *Ne parva* cett. ne alto mari committerem naviculam vel scapham, pro vulgari: ne ego poeta tenuis tentarem altiora. — *Tua, Caesar, aetas*, nunc incipit Hor. enarrare salutem, quae parta sit Romanis sub Augusti imperio: Ea, ait, aetate, qua tu, o Caesar, tenuisti imperium, in agros nostros revocata est frugum ubertas et prosperitas.

v. 5. *retulit*, reddidit, reparavit, redonavit.

v. 6. *Et signa* cett. signa militaria, Romanis (quorum dux fuit M. Licinius Crassus) in pugna infaustissima erepta et a Parthis templorum postibus affixa, sub Augusti auspiciis e Parthorum templis refixa et restituta sunt *nostro Iovi*, nostro Romani imperii deo tutelari, Iovi, pro vulgari: nobis.

v. 6. *superbis*, de victis Romanis quasi superbientibus, vel magnifice splendentibus. Virgil. Aen. II, 504. *Barbarico postes auro spoliisque superbi.*

v. 9. *Ianum Quirinum clusit.* terra marique facta pace claudebatur templum Iani, qui cognominatus est *Quirinus*, quasi bellorum potens, ab hasta, quam Sabini *curin* vocant. Macrob. Saturn. I, 9.

v. 15. *Porrecta*, extensa, ulterius vel latius promota, propagata; supr. Od. III, 16, 40. *vectigalia porrigere*, latius extendere.

v. 16. *ab Hesperio cubili*, ab Oceano, ubi Sol occidens it quasi cubitum.

Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia, non Getae,
Non Seres infidive Persae,
Non Tanain prope flumen orti.
Nosque et profestis lucibus et sacris
Inter iocosi munera Liberi,
Cum prole matronisque nostris
Rite Deos prius adprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remixto carmine tibiis,
Troiamque et Anchisen et almae
Progeniem Veneris canemus.

v. 21. *qui profund. Danub. bib.* Germani, Daci, Rhaeti cett.

v. 22. *Edicta rumpent Iulia*, leges ab Augusto datas perfringent.

v. 23. *Seres*, Indi; *Persae*, Parthi; *Non Tan. pr. fl. orti*, Scythae. — *et profestis dieb.*, tam diebus vulgaribus, quotidianis, quam sacris; *profestis*, non proprie diebus festis, sed habendis pro diebus festis; *dies profesti* vulgo explicantur *dies non festi*, nos: *gewöhnliche Tage, Werkeltage.*

v. 29—32. *Virtute functos* cett. duces, qui virtutis laude clari fato perfuncti sunt, canemus antique more carmine ad Lydiarum tibiarum modos temperato. Noti sunt apud veteres *modi Dorii, Lydii, Aeolii, Phrygii.* Per *Lydios* exprimebatur laetitia.

v. 32. *almae progen. Veneris*, Augustum in gentem Iuliam receptum.

Q. HORATII FLACCI
EPODON LIBER.

CARMEN I. (I.)
AD MAECENATEM.
METR. XV.

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula,
Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo?
Quid nos, quibus, te, vita, si superstite,
Iucunda, si contra, gravis?

CARM. I.

Horatius, ut probaret, quantus esset ipsius erga Maecenatem amor, et quanta fidei in pia erga Maecenatem amicitia firmitas, in hoc carmine Maecenati, cum Augusto in bellum contra Antonium et Cleopatram profecturo, se offert et profitetur comitem. De quo quidem amicorum erga amicos animo, quo alter alterum in remotissima quaeque loca comitari promtus paratusque est, plura passim exempla extant; cf. supr. Od. II, 6. et Catull. Carm. XI.

Praefixa sequentibus carminibus *Inscriptio*: *Epodon Liber*, translata est ab Archilocho, iamborum inventore, qui inter truces iambos scripsit quoque tales, ubi iambis maiusculis subiicerentur (ἐπᾴδοντα) quoque minores vel breviores, vel, ut observat Hephaestion de Metr. p. 70. (Edit. Pauw.), ὅταν *μεγάλῳ σιλφῳ πεφιττόν τι ἐπιφέρηται*. Et vere ad Archilochi exemplum plurima carmina, quae continentur in *Epodon Libro*, sunt maledica et nigrae ledginis plena.

v. 1. *Ibis Liburnis* cett. sc. navibus; naves *Liburnae* vel *Liburnicae* (a Liburnis, populis Illyrici, exstructae) erant parvae, et proinde agiles et veloces, quae Caesari in pugna Actiaca contra ingentis molis naves Antonii egregio fuerunt usui. — *inter alta nav. prop.* naves enim, e quibus constabat Antonii classis, erant tam vastae magnitudinis, ut *propugnaculorum* instar in altum exsurgerent.

v. 4. *tuo*, sc. periculo, pro vulgari: tuo simul periculo cum Caesare, vel communi periculo.

v. 5. *Quid nos*, sc. faciamus? *quibus vita iucunda est, si, te su-*

Utrumne iussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus, et te vel per Alpium iuga
Inhospitalem et Caucasum,
Vel occidentis usque ad ultimum sinum
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuvem meo,
Inbellis ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui maior absentes habet.
Ut adsidens inplumibus pullis avis
Serpentium adlapsus timet
Magis relictis; non, ut adsit, auxili
Latura plus praesentibus.
Libenter hoc et omne militabitur
Bellum in tuae spem gratiae;
Non ut iuvencis illigata pluribus
Aratra nitantur mea,

perstite, scil. illa contingit vel vivitur.

v. 7. *iussi*. ergo iusserat Maecenas Horatium domi manere et bono otio frui.

v. 8. *ni tecum simul*, sc. otio bono frui licet.

v. 9. *mente, qua decet ferre non molles viros*, elegante amplificatione pro simplice: forti mente, *forti pectore*, ut. v. 14.

v. 12. *Caucasum inhospitalem*, domibus negatum, vel qui ob rupes, altitudinem, asperitatem et coeli inclementiam cett. incoli nequit. cf. supra Od. I, 22, 6.

v. 15. *labore*, per *laborem*, ut v. 9., intellige intentionem virium, quae itinera faciendo atteruntur, exhauriuntur, franguntur.

v. 21. *Magis*, maiore sollicitudine et cura, vehementius; *pullis — relictis* in casu tertio; *timere alicui* et *de aliquo*. — *ut adsit*, utut adsit, quamvis adsit.

v. 25 seqq. *Non ut* cett. Sensus: non ut evadam ditior, non ut res meas et possessiones augeam et amplificem, non ut *vectigalia mea* (ut loquitur Hor. supr. Od. III, 16, 40.) *porrigam*. — *Non ut iuvencis*, inversa constructio pro: non *ut plures iuvenci aratris meis illigati nitantur*, exquisite pro: *arent*, quod fit, cum iuvenci *nituntur*, annituntur, vires intendunt, aratro alligati. — *pecusve Calabris*, non ut pecus ante sidus fervidum Sirii vel Caniculae ex pascuis Calabriae agam in Luca-

Pecusve Calabris ante sidus fervidum
Lucana mutet pascua,
Nec ut superni villa candens Tusculi
Circaea tangat moenia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit; haud paravero,
Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam,
Discinctus aut perdam ut nepos.

CARMEN II. (II.)

METR. XV.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,

na pascua. Ditiores enim pascua mutare et armenta e pascuis fervidis, qualia fuerunt *Calabra*, in pascua mitiora agere solebant.

v. 29. *villa candens*, nitore procul vel candore splendens. Infr. Sat. I, 5, 26. *impositum saxis late splendentibus Anxur*. — *Tusculi superni*, in iugo vel loco acclivi positi; sed *Bentleius* pro *superni* legi omnino iubet *supini*. — *Circaea moenia*, Tusculum, ab eius conditore Telegono, Ulyssis et *Circes* filio.

v. 33. *avarus ut Chremes*, qui apud Menandrum aurum sub terra fossum abdidisse dicitur. — *ut discinctus nepos*, ut homo perditis vel perversis moribus infamis, qui *rem patris* (ut loquitur Hor. Sat. I, 2, 62.) *oblimat*, h. e. perdit, dilapidat, stringit.

CARM. II.

Horatius, qui, ut sciunt eius lectores, quavis arrepta occasione avaros, ut homines detestabiles, notavit et descriptos dedit, iam in hoc carmine vitium avaritiae tam altas in hominum animis radices agere solere, ut illud inde erui et eradicari nequeat, exemplo producto probatum ivit. Induxit nempe in hoc carmine avarum foeneratorem, cui nomen *Alphei* dedit, qui curis et laboribus in pecunia quaerenda et corradenda enectus et confectus sensum summae voluptatis, quam creet alatque vita rustica, concipere et praecipere coepit. Diserto igitur ore enarrat Alphius omnia negotia et rerum occupationes, quibus quaevis anni pars in agris iucundissime transigatur et transigi possit (confer imprimis in laudem vitae rusticae Horat. Epist. I, 10.). — Postquam Alphius vitam rusticam meritis laudibus extulit et commendavit, quid fit? Alphius, iamiam futurus rusticus, ad negotia foeneratoria porro exercenda ut homo avarus redit.

v. 1. *negotiis*, in lucro per foenus faciendo versantibus vel positis; qui hoc lucri genus exercebant, dicebantur *negotiatores*, de

Paterna rura bubus exercet suis.
Solutus omni foenore
Neque excitatur classico miles truci,
Neque horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Inutilesque falce ramos amputans
Feliciores inserit;
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges;
Aut pressa puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas oves;
Vel, quum decorum mitibus pomis caput
Auctumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem et uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.

quibus more suo h. e. eleganter et erudite egit *Ernestius* tam in peculiari *Commentatione*, quam Clav. Cic. voc. *negotiator*.

v. 3. *exercet rura*, arando agros domat, pacat, subigit; eleganter *rura exercere* dicuntur, qui ad fecunditatem arando quasi praeparantur.

v. 6. *Neque horret iratum mare*, negotiator enim vel mercator, quaestus causa trans mare remotas terras petens, horrore oppletur, cum mare saevire incipit.

v. 7. *superba limina*, magnifice splendentia. Apud Catull. LXIV, 85. *sedes superbae*, magnifico splendore eminentes, conspiciendae.

v. 9. *Ergo*, sc. solutus omni foenore et liber honorum cupiditate, *maritat*, eleganter et suaviter pro vulgari: vitium surculos annectit altis populis; cf. sup. Od. IV, 5, 30.

v. 11. *Inutiles*, frugum proventui obstantes, steriles.

v. 17—18. *Vel*, *quum decorum* cett. venusta oratio pro vulgari: redeunte auctumno.

v. 20. *certantem purpurae*. *certare alicui* pro certare cum aliquo, saepius.

v. 24. *tenaci*, tenaciter terrae in-

Labuntur altis interim ripis aquae,
Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.
At quum Tonantis annus hibernus Iovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
Iucunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?
Quodsi pudica mulier in partem iuvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli,
Sacrum et vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus laetum pecus
Distenta siccet ubera,
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemtas apparet:

haerente, non facile se solvi et avelli radicibus patiente.

v. 30. *comparat*, colligit, contrahit, miscet.

v. 33. *Aut amite levi* cett., aut animum oblectat aucupio. Nos: *oder er geht auf den Vogelheerd.* — *retia* — *dolos*, dolose tecta. *amite levi*, intellige furculam vel perticam *levem* (levigatam), qua retia tam extenduntur, quam avibus superiniiciuntur.

v. 35. *advenam gruem*. aves *advenae* sunt *peregrinae*, nos: *Zugvögel*; opponuntur *vernaculis*, quae manent, ubi natae sunt, *einheimische Vögel*.

v. 37. *amor*, sc. divitiarum colligendarum; *amor* simpliciter passim de rei, de qua sermo est, cupiditate; sic infr. Epist. I, 1, 84. simpliciter de aedificandi amore.

v. 42. *Appuli pernicis*, gnavi, agilis, expediti.

v. 44. *Lassi sub adv. viri.* Tibull. I, 10, 42. *Et calidam fesso comparat uxor aquam*, nempe ad lavandum.

Non me Lucrina iuverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare;
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis et gravi
Malvae salubres corpori;
Vel agna festis caesa Terminalibus,
Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas ut iuvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido!
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!
Haec ubi loquutus foenerator Alphius,
Iamiam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
Quaerit Calendis ponere.

v. 49. *Non me* cett. Ego, ut rusticus, lautiores epulas nihil curo; ad eas referebantur *conchylia*, *pisces* cett. — *conchylia Lucrina*, e lacu Lucrino petita, quae ceteris ostreis putabantur praestantiora.

v. 50. *rhombus*, nos: *Schollenfisch*, *Butte*. — *scarus*, nominari apud nos solet *Meerbrasse*, de quo suavissimi saporis pisce vid. quos laudat *Amicissimus Iacobsius* ad Anthol. Gr. Vol. III. P. I. p. 89. — *iuverint*, palatum demulserint et suaviter affecerint.

v. 51 — 52. *Si quos* cett. si quos forte (*hiems*) tempestas inter tonitrua e mari Eoo in mare vicinum dispulerit.

v. 53 — 54. *Afra avis*, gallina Numidica, guttata, nos: *Perlhuhn*. — *attagen Ionicus*, nos: *rothes*, *gehaubtes Haselhuhn*.

v. 57. *herba lapathi*, nos: *Sauerampfer*. — *corpori gravi*, adstricto, difficultate alvum exonerandi laboranti.

v. 59. *festis Terminalibus*, vid. Ovid. Fast. II, 659 seqq.

v. 60. *haed. er. lupo*, grata enim et apprime iucunda nobis esse solent, quae, erepta voracis alicuius faucibus, feliciter servata sunt. —

CARMEN III. (III.)

AD MAECENATEM.

METR. XV.

Parentis olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit,
Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas praeter omnes candidum
Medea mirata est ducem,

— v. 66. *renidentes.* Lares enim in foci vicinitate collocati flammis in foco splendentibus resplendebant. — v. 67 seqq. *Haec ubi loc. foen. Alph.* Postquam foenerator Alphius, iamiam futurus rusticus, has vitae rusticae laudes decantaverat, ecce pecuniam, qua praedium emeret, a debitoribus iam redactam de integro posuit in foenore. Infr. Epist. ad Pis. v. 421. *Dives agris, dives positis in foenore nummis.* Caeterum, ut satis constat, *Calendae* et *Idus* apud Romanos fuerunt constituti dies, quibus et daretur foenori pecunia et foenori data redigeretur.

CARM. III.

Lepidum et iocosum poematium! Maecenas, quem non fugiebat, quanto odio et taedio tam gravissimum allii odorem, quam escam incocto allio Horatius aversaretur, in coena, cui Horatium interesse iusserat Maecenas, escam immixto allio apponi iusserat. Itaque Horatius, ut lusus luderet Maecenatem, allium, tanquam olus pestilentissimum, in malam rem abire iubet, optans, ut, sicut ipse allium, ita puella quaedam amatorem suum Maecenatem abominetur.

v. 3. *edit*, pro: edat, ad antiquam formam: *edim, is, edit*, vel supple ad *edit*: ut meruit, merito. — *cicutis. cicuta*, nos: *Schierling*, herba succo veneni (quo Socrates necatus est) madens. vid. Plin. XXV. 13, 8.

v. 4. *messorum*, sc. qui edunt allium.

v. 8. *Canidia tract. dapes.* Canidiam, vetulam, artes magicas profitentem et scelestissimis fallaciarum generibus stultiores ludentem, et ipse poeta licentius derisit et aliorum derisui exposuit infr. Carm. V. et X. — *dapes malas*, venenatas.

v. 9.—14. *Ut Argonautas* cett Sensus paulo impeditioris or

Ignota tauris illigaturum iuga,
Perunxit hoc Iasonem;
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae;
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit aestuosius.
At, si quid unquam tale concupiveris,
Iocose Maecenas, precor,
Manum puella savio opponat tuo,
Extrema et in sponda cubet.

CARMEN IV. (VI.)

IN CASSIUM SEVERUM.

METR. XV.

Quid inmerentes hospites vexas, canis,
Ignavus adversum lupos?

nis est fere hic: *(Ut)* Postquam Medea prae omnibus aliis Argonautis pulchri ducis, Iasonis, forma, quam mirabatur, capta est, perunxit *hoc* (allio) veneno efficacissimo Iasonem, impositurum iuga tauris (ignivomis), *(ignota)* qualia numquam tauri illi experti fuerant; eadem Medea, postquam ulta est pellicem (novam Iasonis coniugem Creusam sive Glaucam), donis nuptialibus (palla sive corona) *hoc* (allio, veneno) inunctis, curru alatis serpentibus iuncto fugit Athenas. Vide de omni hac re laudatos ab Interpretibus Pind. Pyth. IV, 393. Apoll. Rhod. III, 1011. et Val. Flacc. VII, 468. Apollodor. II, 28. — *Serpente alite. ales* passim pro: alatus; supr. Od. III, 12, 4. *Puer ales* et Od. IV, 11, 26. *Pegasus ales.*

v. 17. *munus*, vestis, Nessi cruore tincta. Ovid. Met. IX, 130 sq. — *efficacis Herculis*, litotes pro: virtute sua et corporis robore omnia effecta dantis; sic idem Hercules supr. Od. IV, 8, 30. *inpiger Hercules.*

v. 19. *si quid tale concupiveris*, si talem iocum, quo nuperrime me exceperis et apposito allio me paene necueris, repetere tentaveris.

v. 22. *sponda*, sc. lecti; scilicet ad avertendum et evitandum allii odorem gravissimum.

CARM. IV.

Maledicta conviciatorum comparari solent cum latratu canum, et quidem canum ignavorum, qui praetereuntes latratu quidem terrent, sed non insectantur morsibus. — Inscriptio huius carminis deberi videtur ei, qui *Cassium Severum* hominem maledicentis-

Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
Et me remorsurum petis?
Nam, qualis aut Molossus aut fulvus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata nives,
Quaecunque praecedet fera.
Tu, quum timenda voce complesti nemus,
Proiectum odoraris cibum.
Cave, cave! namque in malos asperrimus
Parata tollo cornua,
Qualis Lycambae spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo.
An, si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

CARMEN V. (VII.)

AD POPULUM ROMANUM.

METR. XV.

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?

simum fuisse apud Tacit. Annal. I, 72. et IV, 21. legerat.

v. 3. *si potes*, si tu es talis, qui hoc possit.

v. 5. *Moloss.* cett. de canibus Molossis sive Epiroticis et Spartanis, velocitate et corporis robore insignibus, vid. Virg. Georg. III, 405. et ibi *Voss.*

v. 6. *Amica vis*, eleganter pro: grata et valida custodia.

v. 12. *cornua*, iam translate dicuntur *arma*, quibus alios impugnamus vel contra alios nos defendimus. Ineptus quidam homo contumelioso modo tractaverat Horatium. Ad hanc iniuriam ulciscendam Horatius se *arma sua* parare minatur, scilicet *iambos*, quibus magni poetae ad exemplum Archilochi adversarios petere et infamare solebant. Eleganter igitur *Parata tollo cornua in malos*, pro: advoco iambos in maledicos. — *asperrimus*, infestissimus.

v. 13. *Qualis* cett. Sensus: Ego ero talis, *qualis* fuit Archilochus, qui Lycamben ob filiam, quam Archilochus maritare volebat, repudiatam venenatis iambis ad restim compulit, vel qualis Hipponax, qui Bupalum iambis derisum ad vim sibi inferendam adegit.

CARM. V.

Quemadmodum fumus, in tecto aliquo cum exsilientibus scintillis evaporans, praecedere solet incen-

Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidae Carthaginis
Romanus arces ureret,
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacra catenatus via;
Sed ut, secundum vota Parthorum, sua
Urbs haec periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus,
Nunquam, nisi in dispar, feris.
Furorne caecus, an rapit vis acrior?
An culpa? Responsum date.
Tacent, et ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsae stupent.
Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut inmerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

dio iamiam prorupturo, ita quae nunc in imperio Romano gliscebant, agitabantur, movebantur, haud obscure novorum bellorum civilium ortum praedicere videbantur. Poeta igitur in hoc carmine obtestatur Romanos, ut, quocunque modo fieri possit, imminentia mala avertant, neve committant, ut maiorum scelera et caedes nepotum sanguine expientur. Sed haec dicta sunt surdis auribus. *Acerba fata Romanos agunt.*

v. 3. *Parumne campis* cett. cf. omnino supr. Od. II, 1, 30 seqq.

v. 5—10. *Non ut* cett. Sensus: Non ut Romani exercitus superbam Carthaginem exscinderent, aut ut Britannus, nondum a Romanis victus, nunc victus et vinctus ante triumphantis currum per viam Sacram incederet, sed ut (*haec urbs*) Roma (*sua dextra*) suis ipsius viribus, (*bellis civilibus*) plane ut Parthi optant, periret.

v. 11—12. *Neque hic lupis* cett. sic non agunt ferae bestiae: nam hae non in sui sed diversi generis animalia saeviunt.

v. 13. *acrior*, potentior, superior, adversorum scilicet deorum.

v. 17. *agunt*, exercent.

v. 18. *Scelus fraternae necis*, scelesta Remi caedes.

v. 19. *Ut*, postquam.

CARMEN VI. (IX.)

METR. XV.

AD MAECENATEM.

Quando repostum Caecubum ad festas dapes,
  Victore laetus Caesare,
Tecum sub alta (sic Iovi gratum) domo,
  Beate Maecenas, bibam,
Sonante mixtum tibiis carmen lyra,
  Hac Dorium, illis Barbarum?
Ut nuper, actus quum freto Neptunius
  Dux fugit, ustis navibus,
Minatus Urbi vincla, quae detraxerat
  Servis amicus perfidis.

CARM. VI.

Nuntio allato de Antonio, splendide in pugna Actiaca victo, cum tota Roma triumpharet et laetitiae se dederet solutissimae; Horatius, quasi non toto pectore percipere possit laetitiam, in cuius partes non amicus Maecenas venisset, ei patefecit hoc carmine, se adfore in celsa eius domo ad Caecubum, quod ille ad festas dapes reposuerit, una cum eo exsiccandum. Iam morae impatiens triumphalem exclamationem in ore habet; iam generosissima quaeque vina promi et fortius poculis addi iubet.

v. 1. *Caecubum*, natum in agro Caecubo Latii iuxta Fundos ad viam Appiam, a Romanis, ut constat, habebatur pro vino praestantissimo.

v. 3. *sub alta domo.* Maecenatis enim *domus* in Esquiliis sita ingente altitudine super omnes alias domos longe supereminebat.

v. 4. *Beate. beatorum* nomine imprimis insigniri solebant superfluentes omnibus rerum copiis.

v. 5—6. *Sonante mixtum* cett. dum carmen cantatur, tam ad lyrae quam ad tibiarum sonos temperatum, lyra quidem Dorios, tibiis Barbaros modos edentibus; modi *Dorii* scilicet fuerunt graves et severi, *Barbari*, Phrygii (ut tibia *barbara* apud Catull. LXIV, 265.), feri et furori iniiciendo apti.

v. 7—10. *Ut nuper* cett. Sensus: Sicuti liberius indulsimus inter larga pocula laetitiae tum, cum accepissemus Pompeium, qui e servis et fugitivis collectum exercitum contra nos duxerat, post pugnam ad Messinam e freto (Siculo) *abactum*, combustis ab Augusto, quas Pompeius reliquerat, navibus, in fugam compulsum esse. vid. Dio XLIX, 10. — *Neptunius Dux*, Pompeius, qui (ut narrat Aurel. Victor. c. 84.), *cum mari feliciter uteretur*, *Neptuni filium se professus est.* — *nuper*, ante

Romanus, eheu! posteri negabitis,
Emancipatus feminae,
Fert vallum et arma miles, et spadonibus
Servire rugosis potest,
Interque signa turpe militaria
Sol adspicit conopium!
Ad hoc frementes verterunt bis mille equos
Galli, canentes Caesarem,
Hostiliumque navium portu latent
Puppes sinistrorsum citae.
Io Triumphe! tu moraris aureos
Currus et intactas boves;
Io Triumphe! nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africanum, cui super Carthaginem
Virtus sepulchrum condidit.
Terra marique victus hostis Punico
Lugubre mutavit sagum.
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,
Ventis iturus non suis,

quinque annos; nec raro *nuper* post longius temporis intervallum. Cic. de Nat. D. II. cap. 50. *Ea, quae nuper, id est, paucis ante saeculis reperta sunt.* — *Servis amicis perfidis*, abiecte et falso in Pompeii contemtum.

v. 12. *Emancipatus*, mancipii instar a nutu dominae pendens.

v. 13. *et spadonibus serv. rug. potest*, et potest a se impetrare id, ut rugosis (enervatis et decrepitis) spadonibus serviat!

v. 16. *conopium* vel *conopēum*, velum vel rete, quod ad arcendos culices, quos Graeci κώνωπας vocant, circa lectum tendebatur.

v. 17. *Ad hoc*, ob hanc abiectam et indignam viro se gerendi rationem; *ad* pro: ob, ut infr. Sat. I, 6, 87. *Ad hoc unus Laus illi debetur.* — *frementes*, fremendo indignationem suam exprimentes.

v. 18. *canentes Caesarem*, inter laetos clamores et faustas salutationes ad Caesarem transeuntes.

v. 19—20. *Hostiliumque navium* cett. et puppes (quae se subduxerant pugnae navali), *sinistrorsum citae* (impulsae, actae, avectae), *latent* in *portu navium hostilium*.

v. 22. *intactas*, nondum iugum passas.

v. 23. *parem*, intellige Mariam, a quo Iugurtha victus est.

v. 27—28. *Punico Lugubre mutavit sagum*, inversa constructio: *sagum Punicum* (purpureum fere) *mutavit cum sago lugubri* (sordido).

Exercitatus aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia,
Vel, quod fluentem nauseam coerceat,
Metire nobis Caecubum.
Curam metumque Caesaris rerum iuvat
Dulci Lyaeo solvere.

CARMEN VII. (XIII.)

AD AMICOS.

METR. X.

Horrida tempestas caelum contraxit, et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc siluae
Threïcio Aquilone sonant; rapiamus, amici,
Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move Consule pressa meo.

— v. 30. *non suis*, non ipsi favent-ibus, non propitiis; ut dicimus *nostrum*, qui nobis favet, vel cui nos favemus.

v. 35. *fluentem nauseam*, intelige malam affectionem, qua cibi sordent stomacho. — *coerceat*, pellat, abigat, compescat.

CARM. VII.

Tempus pluviosum ad curas inter vini pocula abigendas Horatio, ut supr. Od. III, 17., non importunum visum est. Itaque procelloso die amicos ad laetam compotationem convocat, quae iam fervere incipit. Et hoc est ex Horatii sententia: *occasionem rapere de die.*

v. 2. *deducunt Iovem.* Iupiter enim *Pluvius* (ὑέτιος) e caelo in terram deductus praebet et ostendit se *pluvium.*

v. 3. *Threïc. Aq.* Graecis Aquilo fiat ex Thracia.

v. 4. *dumque virent genua*, (Theocrit. XIV, 70. ἅς γόνυ χλωρὸν) dum in flore aetatis constituti sumus. Propert. IV, 5, 57. *dum vernat sanguis.*

v. 5. *senectus*, senilis austeritas. — *fronte obducta*, sc. senili austeritate, rugis.

v. 6. *move*, in medium profer; eleganter *moveri* dicuntur vina *reposita*, quae diu iacuerunt intacta. — *Consule meo*, Horatius enim natus est Consule L. Manlio Torquato a. DCLXXXVII. — Appellat poeta unum convivarum, in cuius fronte, ut docent sequentia, ob rem quandam infaustam expressa erat tristitia.

Cetera mitte loqui: Deus haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice. Nunc et Achaemenia
Perfundi nardo iuvat, et fide Cyllenea
Levare diris pectora sollicitudinibus;
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte, mortalis Dea nate, puer, Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina, lubricus et Simois;
Unde tibi reditum certo subtemine Parcae
Rupere, nec mater domum caerula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.

v. 7. *Cetera mitte loqui.* iubet poeta amicum nunc tacere de rebus tristioribus.

v. 8. *benigna Red. in sedem vice,* benigna mutatione vertet in laetiora, restituet in integrum. *Achaemenia,* Parthica, vid. supr. ad III. Od. 1, 44.

v. 9. *Cyllenea,* sic appellata est *lyra* ab eius inventore, Mercurio, cuius solum natale fuit mons *Cyllene* in Arcadia.

v. 11—18. *Nobilis ut grandi* cett. *ut* in hanc meam sententiam, seria frontis vino esse explicanda, *nobilis Centaurus,* Chiron, cui Thetis educandum tradiderat Achillem, *cecinit grandi alumno,* ut vates praedixit alumno suo ad grandia destinato.

v. 13. *Assaraci tellus,* Troia, Assaraci olim imperio parens. Virg. Aen. I, 284. *Assaraci domus.*

v. 14. *flumina,* undae, undarum fluctus. — *findunt,* radunt, findendo quasi vel secando transeunt. — *lubricus,* ut *irriguus,* respondet aquarum naturae.

v. 15. *certo subtemine Parcae,* nendo certa vaticinantes. Infr. Carm. Saec. 25. *Vosque, veraces cecinisse, Parcae.*

v. 17—18. *Illic,* in agro Troiano. — *vinum* et *cantus* per appositionem dicuntur *dulcia alloquia,* h. e. solamina *deformis aegrimoniae* h. e. aegritudinis, quae conficit, enervat, et macros, luridos atque deformes reddit homines. De voce *alloquium,* solamen (παραμύθιον), et *alloqui* (παραμυθεῖσθαι), solari, vide quae observavimus ad Catull. XXXVIII, 5.

CARMEN VIII. (XVI.)

AD POPULUM ROMANUM.

METR. XVII.

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit,
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenae manus,
Aemula nec virtus Capuae, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera caerulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Hannibal;
Inpia perdemus devoti sanguinis aetas,
Ferisque rursus occupabitur solum.

CARM. VIII.

Si *Aetas* triginta annorum spatio, ut plurimorum est sententia, continetur, iam bella civilia ultra triginta vel quadraginta ferme annos imperium Romanum labefactasse inde sequitur. — Postquam poeta in hoc carmine acerbissime invectus est in Romanorum mores, a severitate in levitatem et ab antiqua fortitudine in ignaviam corruptos et degeneratos, rem eo deductam esse ait, ut non de vita tantum, sed etiam de terra mutanda cogitandum sit. Suadet igitur poeta, ut Romani terra patria relicta ad exemplum Phocaeorum in terras remotissimas emigrent, et vitam miseram cum vita beata ibi commutent. Quamvis vero, quod poeta suasit, haud ex animo profectum est serio, tamen, quam perturbata et lacerata per bella civilia fuerit tum Romana civitas, haud obscure inde intelligi potest.

v. 2. *Suis viribus*, suo, quo valet, virium robore, *ruit* in perniciem.

v. 3. *Marsi.* bellum *Marsicum* vel *Italicum* vel *Sociale* gestum est ab anno DCLX. usque ad annum DCLXIII.

v. 4. *Etrusc. Porsenae manus.* bellum Etruscum cum Porsena enarrat Liv. II, 9 seqq.

v. 5. *Capuae*, urbs clarissima et bello potentissima, totius Campaniae caput, certamen cum Romanis inire ausa est. — *Spartacus acer*, auctor *belli Servilis.*

v. 6. *Allobrox.* Allobroges, Galliae populus, seditiosis consiliis saepius multum negotii facessiverunt Romanis.

v. 7. *caerulea pube*, ob colorem *caeruleum*, quem ostendisse dicuntur Germanorum oculi.

v. 9. *Inpia perdemus* cett. eam urbem nos impii, ad scelera nostra sanguine expianda devoti, perdemus et ad infimam sortem detrudemus.

Barbarus heu! cineres insistet victor, et urbem
Eques sonante verberabit ungula;
Quaeque carent ventis et solibus, ossa Quirini,
Nefas videre! dissipabit insolens.
Forte, quid expediat, communiter aut melior pars
Malis carere quaeritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum
Velut profugit exsecrata civitas
Agros atque Lares proprios habitandaque fana
Apris reliquit et rapacibus lupis,
Ire, pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
Ratem occupare quid moramur alite?

v. 11—12. *et urbem Eques sonante v. ung.* percipe orationis elegantiam pro: et solum, quo Roma stetit, resonabit ungula equi, quo eques transvehetur.

v. 13. *Quae carent ventis et solibus*, pro simplice: sepulta.

v. 14. *insolens*, qui ea, quae sacra esse debent, insolentius profanat, homo profanus.

v. 15—22. *Forte, quid expediat* cett. Sensus: vos forte omnes, (communiter) aut certe pars vestrûm prudentior (*quaeritis*) circumspicitis (*quid expediat*) rationem, qua malis, quibus laboratis, liberari possitis; omnibus aliis sententiis praeferatur haec: „ire quocunque pedes ferent, vel quocunque venti per mare vocabunt, ad exemplum Phocaeorum, quorum civitas inter exsecrationes agros et domos fugit et loca sacra apris et lupis habitanda reliquit."— *profugere*, pro simplice: fugere, vel *fugere* et *relinquere* aliquid pro: fuga vel fugiendo aliquid relinquere.

v. 22. *protervus Africus*, cf. supr. Od. I, 26, 2.

v. 23—34. *Sic placet?* cett. Sensus: Placetne hanc sententiam sequi? an est, qui meliora suadeat? agite, agite, quid moramur navem conscendere? Sed antea iureiurando interposito inter nos conveniat nos nunquam redituros esse in patriam; hoc iusiurandum confirmatur mentione facta rerum, quae naturae repugnant nec unquam fieri possunt. Hoc ipso autem iureiurando Romani imitati sunt Phocaeos; nam quemadmodum Phocaei, cum ab Harpago, Cyri duce, adacti essent eo, ut patriam cum coniugibus et liberis relinquendi caperent consilium, antequam discedebant, massam ferri in mare iniecisse dicuntur, iurantes se non prius, quam massa illa sponte e mari emersisset, in patriam redituros esse (vid. Herodot.

Sed iuremus in haec: Simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina,
In mare seu celsus praecurrerit Apennimus,
Novaque monstra iunxerit libidine
Mirus amor, iuvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba miluo,
Credula nec ratos timeant armenta leones,
Ametque salsa levis hircus aequora.
Haec, et quae poterunt reditus abscindere dirae,
Eamus omnis exsecrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et expes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca praeter et volate litora.
Nos manet Oceanus circumvagus! arva, beata
Petamus arva, divites et insulas!

I, 165.): ita nunc Romani saxo in mare immisso insirandum de perpetua fuga et absentia confirmare iubentur.

v. 26. *vadis levata*, ex fundo maris sponte in altum vel sursum promota; *levari* dicuntur, qui sursum enituntur, sursum se tollunt, ut volaturi. — *ne sit nefas*, tum liceat.

v. 28. *quando Padus* cett. ad ea, quae secundum naturam fieri nequeunt, in communi vita quoque referri solet cursus aquarum, non sursum sive non e vallibus in montes labentium; supr. Od. I, 29, 10. *Quis neget arduis Pronos relabi posse rivos Montibus et Tiberim reverti.*

v. 30. *monstra*, diversi generis animalia, quae, quia faciunt quod naturae legibus repugnat; *monstra* vocantur. Et sic *prodigium*, *portentum*, *ostentum*, *miraculum*, de rebus, quae contra naturam apparent nec naturae conveniunt. — *novae*, insolita, inaudita, naturae legibus adversante.

v. 31. *subsidere cervis*. exprimitur συνοικίας apud animalia habitus et ratio.

v. 33. *credula*, de securitate sua persuasa.

v. 34. *levis*, pelle villosa in levem mutata.

v. 36. *exsecrata*, inter exsecrationes, vel diris devota, ut v. 18.

v. 37. *indocili*, rudi, stulto.

v. 38. *Inomin. p. cub.* infausto omine domi maneat et se dedat ignaviae.

v. 41. *circumvagus*, late diffusus,

Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et inputata floret usque vinea;
Germinat et nunquam fallentis termes olivae,
Suamque pulla ficus ornat arborem;
Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussae veniunt ad mulctra capellae,
Refertque tenta grex amicus ubera,
Nec vespertinus circumgemit ursus ovili,
Nec intumescit alta viperis humus.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Pluraque felices mirabimur: ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque rege temperante Caelitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautae,
Laboriosa nec cohors Ulixei.

circa terram vagans, circumfluus. — v. 42. *divites et insulas, μακάρων νήσους*, Fortunatas Insulas (nunc Canarias). Describuntur hae insulae, quasi in iis regnaverit aureae aetatis felicitas.

v. 46. *Suamque*, sponte scilicet natam, non arte plantatam. Virg. Georg. II, 81, 82. *Exiit ad caelum ramis felicibus* (arte insitis) *arbor, Miraturque novas frondes et non sua* (sponte nata) *poma.*

v. 47—48. *Mella cava manant ex ilice*, cf. Virg. Eclog. IV, 22. Tibull. I, 3, 45. — *Montibus altis lev. crep. lympha* cett. Suavissima rivi leni sonitu e monte aliquo desilientis adumbratio; supra Od. II, 3, 11. 12. *et obliquo laborat Lympha fugax trepidare rivo.*

v. 52. *alta humus.* terra intumescens fit *altior.*

v. 56. *radat arva imbr.*, inundatione abradat agros et steriles reddat.

v. 57. *urantur*, hinc agrorum vitium vel morbus: *uredo, rubigo.*

v. 58. *Utrumque*, tempus tam aestuosum quam pluviosum.

v. 59. *Argoo remige pinus*, navis, quam *regebat remex Argous*, eleganter pro: *Argo.*

v. 60. *impudica Colchis*, Medea.

v. 61. *Sidonii nautae*, sc. mercaturae exercendae causa. — *cornua*, sc. antennarum; pro vulgari: non huc appulerunt.

v. 62. *Laboriosa.* quanti fuerint labores Ulyssi cum sociis subeundi

Iupiter illa piae secrevit litora genti,
Ut inquinavit aere tempus aureum;
Aerea dehinc ferro duravit saecula, quorum
Piis secunda vate me datur fuga.

et exhauriendi, vel ex Homero intelligi potest; hinc Epod. XVII. 16. Ulysses *laboriosus* et Epist. I, 7, 40. *patiens*.

v. 64. *inquinavit*, corrupit, tempore aureo in aereum mutato. — *quorum piis* cett. quod tempus pii, qui me audiunt, effugere possunt.

Q. HORATII FLACCI
CARMEN SAECULARE.

PRO IMPERII ROMANI INCOLUMITATE.

METR. VI.

Phoebe silvarumque potens Diana,
Lucidum caeli decus, o colendi
Semper et culti, date, quae precamur
Tempore sacro,
Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas puerosque castos

CARM. SAECULARE.

Apollo et Diana fuerunt duo numina, quibus Romani prae caeteris diis deabusque tam aëris salubritatem et proinde prosperum frugum proventum, quam corporum integritatem et sanitatem se debere profitebantur. Ex hoc pii gratique animi Romanorum sensu repetenda est origo *ludorum saecularium*, qui a Romanis in Apollinis et Dianae honorem instituti, et post quodque centum et decem annorum intervallum summa pietate et solemnitate repetiti sunt. Ad solemnitates horum ludorum pertinebat cantus carminis amoebaei, in quo a delecto choro puerorum puellarumque, a pueris quidem laudes Apollinis, a puellis laudes Dianae, qua fieri posset arte, verecundia et suavitate, extollerentur. Cum igitur florente summo poeta Horatio *Ludi Saeculares* instarent, ipse Augustus (ut scribit in Horatii vita Suetonius) Horatio demandavit provinciam hanc, ut *Carmen Saeculare*, a puerorum puellarumque choro *Ludis Saecularibus* decantandum, non solum componeret, sed etiam modos, quibus illud caneretur, ut χορoῦ διδάσκαλος chorum doceret. Hoc factum est, et quidem tanta diligentia tantaque virium contentione, ut fieri non posset, quin carmen exiret, ad limatissima et praestantissima Horatii carmina referendum.

v. 1. *Silv. pot. Diana*, ὀρεία. supr. Od. III, 22, 1. *Montium custos nemorumque, Virgo.*

v. 5. *Sibyllini versus*, qui, quod fieri debebat ludis saecularibus, praecipiunt, leguntur apud Zosimum II, 6.

v. 6. *Virg. lect. puerosque cast.* eligi scilicet debebant tam puellae quam pueri *patrimi*, h. e. quorum patres et matres adhuc superstites essent.

Dis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen.
Alme Sol, curru nitido diem qui
Promis et celas, aliusque et idem
Nasceris, possis nihil urbe Roma
Visere maius.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis:
Diva, producas subolem, Patrumque
Prosperes decreta super iugandis
Feminis prolisque novae ferasi
Lege marita:
Certus undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro totiesque grata
Nocte frequentes.
Vosque, veraces cecinisse, Parcae,
Quod semel dictum est stabilisque rerum
Terminus servat, bona iam peractis
Iungite fata.

v. 10. *aliusque et id. nasc.* et novus quidem unoquoque die, sed idem (eodem nitore) nasceris.

v. 13—14. *Rite mat. ap. p. lenis Ilithyia*, Diana Graeco nomine *Ilithyia*, Latino *Lucina*, *Genitalis*. — *lenis aperire*, Graece, lenis in aperiendis maturis partibus; pro vulgari: propitia puerperis.

v. 18. *decreta super iug. Fem.* respexit poeta legem *Iuliam* sive legem de *maritandis ordinibus*.

v. 19—20. *prolisque novae ferasi Lege marita.* sensus: et super lege coniugiali, quae favet (*ferasi*) novae et legitimae augendae propagini.

v. 21—24. *Certus undenos* cett. sensus huius paulo obscurioris loci est fere hic: „ut circumactus certi temporis per centum et decem annos cursus vel terminus reportet cantus et ludos, tribus diebus et totidem gratis noctibus frequentiore hominum copia celebrandos.“

v. 26. *Quod semel dictum est*, quod semel in fatis constitutum est a Parcis; *dicere*, ut passim, constituere. Terent. Andr. I, 1, 35. *diem dicere nuptiis*. — *stabilisque rerum Terminus servat*, immutabilis rerum eventus stabilit, confirmat.

Fertilis frugum pecorisque Tellus
Spicea donet Cererem corona;
Nutriant fetus et aquae salubres
Et Iovis aurae.
Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo;
Siderum regina bicornis, audi,
Luna, puellas.
Roma si vestrum est opus, Iliaeque
Litus Etruscum tenuere turmae,
Iussa pars mutare Lares et urbem
Sospite cursu,
Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Aeneas patriae superstes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis:
Di, probos mores docili iuventae,
Di, senectuti placidae quietem,
Romulae genti date remque prolemque
Et decus omne.
Quique vos bubus veneratur albis,
Clarus Anchisae Venerisque sanguis,

v. 31. *fetus*, sc. terrae, fruges.

v. 33. Apollo *mitis* et *placidus* in antiquis monumentis quoque repraesentatur remisso arcu et conditis sagittis incedens, at *minax* et *infestus* adducto vel tenso arcu.

v. 37—48. *Roma si vestrum* cett. Sentiant lectores artem et orationis venustatem, qua poeta in sequentibus magnifice expressit sententiam hanc: „Si ad divina vestra opera referenda est urbis Romae exstructio; si Troiani (*Iliae turmae*) Apollinis monitis (*iussi*) et Aenea duce profecti per media pericula sedem suam transtulerunt in Italiam (*litus Etruscum*), favete, o Apollo, o Diana, docili iuventae et placidae senectuti, et quidquid ad felicitatem populi alicuius spectat, benigne genti Romanae concedite.

v. 41. *sine fraude*, sine noxa vel damno. cf. supr. Od. II, 19, 20.

v. 49. *Quique vos* cett. iam poeta, ut solet, in Augusti laudes exspatiandi cupide arripit occasionem, quam nunc eo minus ex manibus dimittere debebat Horatius, quod ille ab ipso Augusto hoc carmen scribere iussus est. — *bubus albis*. nam ludis saecularibus secundum versus Sibyllinos *albi*

Imperet, bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.
Iam mari terraque manus potentes
Medus Albanasque timet secures;
Iam Scythae responsa petunt, superbi
Nuper, et Indi.
Iam Fides et Pax et Honor Pudorque
Priscus et neglecta redire Virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur et fulgente decorus arcu
Phoebus acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,
Si Palatinas videt aequus arces,
Remque Romanam Latiumque felix
Alterum in lustrum meliusque semper
Proroget aevum;
Quaeque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum

coloris boves mactari et sacrificari debebant.

v. 51. *prior*, potior, superior.

v. 53. *manus potentes*, Romanorum potentiam.

v. 54. *Albanas secures*, Romanum imperium; *fascibus*, qui praeferebantur consulibus et summis magistratibus, immissae fuerunt *secures*; hinc tam *fasces* quam *secures* pro ipso imperio; supr. Od. III, 2, 19. *Nec sumit aut ponit secures Arbitrio popularis aurae.*

v. 55—56. *Iam Scythae resp. pet.* Supr. Od. IV, 14, 42. *Te* (Auguste) *Cantaber non ante domabilis Medusque et Indus, te profugus Scythes Miratur.*

v. 59. *Appar. b. pl. Cop. cornu.* supr. Od. I, 17, 14—16. *Hic tibi copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu.*

v. 63. *salutari*, medica; *artus fessos* sc. morbo; sed passim *fessus* simpliciter pro aegrotus. Ovid. Heroid. XXI, 14. *Adiuvor et nulla fessa medentis ope.*

v. 66. *Remque Romanam Latiumque* cett. obversatus est Horatio versus Ennii: *Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.*

v. 69. *Avent. tenet.* templum enim in monte Aventino Dianae sacrum fuit; *Algidum*, montem altum in Latio.

Curet, et votis puerorum amicas
Adplicet aures.
Haec Iovem sentire Deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus et Phoebi chorus et Dianae
Dicere laudes.

v. 71. *curet*, sc. explendas vel exsequendas. — *Quindecimvir.* nam *viri quindecimviri*, quae praeerant libris Sibyllinis, auctoritate versuum Sibyllinorum in ludis Saecularibus suas publicis precibus iungere debebant. — *puerorum*, nam alias Diana castarum puellarum tantum precibus aures praebere solebat.

v. 74. *reporto.* loquitur chorus, quem Horatius Phoebi et Dianae laudes ad certos modos canere *docuerat.*

P. VIRGILII MARONIS

E C L O G A E.

P. VIRGILII MARONIS
B U C O L I C O N
LIBER.

ECLOGA I.
T I T Y R U S.

MELIBOEUS. TITYRUS.

MELIBOEUS.

Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
Silvestrem tenui Musam meditaris avena:

P. Virgilii Maronis *Carmina Bucolica* a Grammaticis inscripta sunt *Eclogae*, ideo, ut videtur, quod poeta e scriptis a se carminibus et in scrinio reconditis ea, quae publici iuris faceret, secundum ipsius iudicium *delegit*. Ἐκλογή enim est *delectus* paucorum e pluribus. Ex eadem causa *Satyris Horatii*, quarum quaedam fuisse videntur lucifugae, a Grammaticis inditus est titulus *Eclogae*. — Carmina autem *Bucolica*, qualia pastores inter pascendum canere solebant, cecinit Virgilius ad exemplum Theocriti, cuius vestigia ambitiosius quidem et pressius ille secutus, sed insignem mellitissimi poetae elegantiam, nativam venustatem et mirificam simplicitatem haud assecutus est.— Inscriptiones Carminum Theocriti *Idyllia* vel *Edyllia* pariter, ut *Ecloga*e, Grammaticorum inventa videntur.

Quodsi vero carmina, quae vel temporis fallendi vel animi recreandi gratia pastores inter greges vel armenta vel sub arborum tegminibus strati canunt, respondere debent sensibus, quos vel anni amoenitas, vel praetereuntis rivi murmura, vel cantus avium, vel, ut paucis me expediam, iucundissimus naturae adspectus inspirant, profecto, quidquid turbat hos sensus, exsulare debet e carminibus bucolicis. Nihilominus Virgilius contra carminum bucolicorum naturam et indolem saepius, et quidem in prima statim Ecloga, peccavit. Incidit prima Ecloga in annum U. C. 713., quo ager Cremonensis et Mantuanus ab Octaviano veteranis militibus ut virtutis praemium assignatus est. Virgilius

Nos patriae fines et dulcia linquimus arva;
Nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
Formosam resonare doces Amaryllida silvas.

TITYRUS.

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit:
Namque erit ille mihi semper deus; illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
Ludere, quae vellem, calamo permisit agresti.

MELIBOEUS.

Non equidem invideo; miror magis. Undique totis
Usque adeo turbatur agris. En, ipse capellas

igitur Mantuanus prudenter viam, qua agrum suum servaret, ingressus est. Romam enim profectus et per Maecenatem Octaviano commendatus, de agrorum suorum possessione, haud a veteranis sollicitanda, responsum tulit placidissimum. Prodeunt autem in hac Ecloga duo pastores, Tityrus (sub quo latet Virgilius) et Meliboeus. Hic, ubi Tityrum suaviter sub umbrosa fago quiescentem et dulce carmen in dulcem puellam, quam ille amabat, Amaryllida meditantem conspicit, non satis mirari potest, quomodo ille in rebus trepidis, ubi iustis agrorum possessoribus imperiose bona et agri eriperentur, indulgere possit quieti, securitati, animi deliciis atque vitae suavitatibus. — Cum igitur in hac Ecloga mentio facta malorum, quae tum perferenda fuerunt miseris colonis, ex ipsorum agrorum possessione pulsis, miseratione potius, quam voluptate, qua demulceantur Bucolicorum lectores, afficiat, Virgilius sane legem, ad quam exigi debent carmina Bucolica, migrasse dicendus est.

v. 2. *Silvestrem Musam*, carmen bucolicum. *Musa* pro carmine, ut infr. Ecl. VIII, 5. *Damonis Musam dicemus et Alphesiboei.* — *avena*, fistula, tibia; sic *calamus*, *arundo*, *stipula*, *buxus*, *canna*, *cicuta*.

v. 3. *linquimus* — *fugimus*, linquere, fugere cogimur; vel ad *linquimus* et *fugimus* supple: pulsi a veteranis.

v. 4. *lentus*, ἀναίσθητος, ἀνειμένος, qui expers est sensus, quo alii in rebus adversis eruciantur, vel de eo, qui animo languidiore et frigidiore parum curat mala vel tristia.

v. 5. *Form. reson. d. Amar. silv.* expende orationis elegantiam pro vulgari: Formosam Amaryllida celebras carmine in silvis resonante.

v. 6. *deus*, Octavianus.

v. 7—8. *illius aram Saepe* cett. saepius aram Octaviano sacram sanguine inficiet hostia, eleganter pro: mactabitur.

v. 9. *errare*, libere circumvagari.

v. 12. *turbatur agris*, turbae in

Protenus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco:
Hic inter densas corulos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah! silice in nuda connixa reliquit.
Saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
De coelo tactas memini praedicere quercus.
[Saepe sinistra cava praedixit ab ilice cornix.]
Sed tamen, iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

TITYRUS.

Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi
Stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
Pastores ovium teneros depellere fetus.
Sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
Noram; sic parvis componere magna solebam.
Verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

MELIBOEUS.

Et quae tanta fuit Romam tibi caussa videndi?

TITYRUS.

Libertas, quae sera, tamen respexit inertem,

agris excitantur; miscentur et turbantur omnia.

v. 13. *protenus*, porro tenus, ulterius, inde in aliam terram. — *aeger* sc. curis; sed passim simpliciter dicitur *aeger*, quem curae macerant, conficiunt. Sic apud Nostrum Aen. IV, 35. Dido de morte mariti graviter affecta et acerbo dolore percussa simpliciter dicitur *aegra*. — *duco*, cum ceteris ago.

v. 16. *non laeva*, non stulta et perversa, non capta stupore.

v. 17. *de coelo*, fulmine, quod de coelo vel e coelo mittitur. Cic. de Divin. I, 10. *Summanus e coelo ictus*.

v. 18. *Saepe sinistra* cett. hic versus, in pluribus codicibus non comparens, suspectus est. — *sinistra*, infausta.

v. 19. *da*, imperti, narra nobis, vel nobiscum communica.

v. 21. *huic nostrae*, Mantuae.

v. 22. *depellere*, significanter pro: agere, ducere; nam vituli vel venditi vel vendendi non sine vi quadam in urbem propelli solent.

v. 26. *viburna*, *viburnum* (*kleiner Mehlbaum*) dicitur *lentum*, quia facile se flecti et incurvari patitur; *sic lenta vitis* infr. III, 38. et apud Catull. LXI, 106. — *solent*, scilicet *caput extollere*.

v. 28. *Libertas* cett. Virgilius, per Octavianum liberatus a periculo, quod eius agris militum veteranorum occupatione immine-

Candidior postquam tondenti barba cadebat;
Respexit tamen et longo post tempore venit,
Postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
Nec spes libertatis erat, nec cura peculi.
Quamvis multa meis exiret victima septis,
Pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
Non unquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

MELIBOEUS.

Mirabar, quid moesta deos, Amarylli, vocares;
Cui pendere sua patereris in arbore poma.
Tityrus hinc aberat. Ipsae te, Tityre, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

TITYRUS.

Quid facerem? neque servitio me exire licebat,
Nec tam praesentes alibi cognoscere divos.

bat, iam loquitur ut pastor Tityrus, vel ut servilis conditionis homo, cui liberatio a servitio sive manumissio contigerit, quod pastoritii carminis naturae egregie respondet. Intellige igitur iam per *libertatem* immunitatem a violentia veteranorum. — *respexit inertem*, concessa mihi est; pro *me* eleganter *inertem*, dum se ipsum inertiae et negligentiae reum facit.

v. 29. *Candidior postquam* cett. postquam barba albescere coepit, postquam factus sum senior.

v. 31. *nos habet*, me captum tenet, regit.

v. 33. *libertatis*, vitae a servitio, quo premebantur agrorum possessores, liberae.

v. 34. *multa victima*, nam agni, vituli, boves cett., qui ad sacrificia rite instituenda vendebantur in urbibus, rusticis erant lucro et ad opes et reditus eorum pertinebant.

v. 35. *ingratae urbi*. significanter urbs dicitur *ingrata;* saepius enim *urbes* agrorum cultoribus fiunt *ingratae*, molestae et contemtu dignae.

v. 36. *Non unquam gravis aere dom. mihi dextr. redibat.* Obversatus est Virgilio Catull. XX, 12, 13. *Meisque pinguis agnus ex ovilibus Gravem domum remittit aere dexteram.*

v. 37. *Mirabar, quid*, nos: *wuſste ich doch nicht, warum* cett.

v. 38. *sua*, qua quaeque nata essent.

v. 41. *servitio*, quo parendum esset veteranis, futuris agrorum nostrorum dominis.

v. 42. *tam praesentes*, tam potentes, qui statim ferre possent auxilium.

Hic illum vidi iuvenem, Meliboee, quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
Pascite ut ante boves, pueri; submittite tauros.

MELIBOEUS.

Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,
Et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
Limosoque palus obducat pascua iunco.
Non insueta graves tentabunt pabula fetas,
Nec mala vicini pecoris contagia laedent.
Fortunate senex, hic inter flumina nota
Et fontes sacros frigus captabis opacum;
Hic tibi, quae semper vicino ab limite sepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro;

v. 43. *illum iuvenem*, Caesarem Octavianum.

v. 44. *quotannis Bis senos cui* cett. observa orationis elegantiam, qua expressa et descripta sunt *sacra menstrua*.

v. 46. *submittite tauros*, gregi vel armento supplendo tauros subiungite. Varro R. R. II, 2. *Quos arietes summittere volunt, potissimum eligunt ex matribus, quae geminos parere solent*. Sed possis quoque explicare: iugo vel aratro ad arandum tauros subiungite. Horat. Od. III, 13, 11. *Fessi vomere tauri*.

v. 48—49. *Et tibi magna satis* cett. et haec tua rura, quamvis sunt lapidosa et paludosa, ad Mincium scilicet sita, rebus tuis sufficiunt, vel satis tibi fructuosa sunt.

v. 50. *tentabunt*, de morbis, quibus corpora afficiuntur vel affliguntur; exempla Ciceroniana vid. in *Ernesti Clav. Cic.* s. v. *tentare*.

v. 52. *flumina nota*, Mincius et Padus.

v. 54 — 56. *Hic tibi, quae* cett. Hunc locum, quem *Marklandus* ad Stat. Silv. I, 3, 43. se non capere professus est, et *Burmannus* ut locum suspectum notavit, *Heynius* denique, ut nunc ille legatur, vix expediri posse censebat, nos in *Prolus. in Memoriam conditi Gymnasii Gothani. Gothae* 1824. p. 7—9. emendatione proposita illustrare studuimus. Nec ab eo inde tempore, quo hunc locum corruptum emendare tentavimus, meliora succurrerunt. Vitium huius loci aperte latet in particula *semper*, quae rei, de qua sermo est, nullo modo convenit. Apes enim non *semper*, sed *per breve tantum illud tempus*, quo salices florent, earum florem depascunt. Et quomodo *quae depasta* recte explicari potest pro: quae depasta *est*, et hoc pro: depasci

Hic alta sub rupe canet frondator ad auras;
Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.

TITYRUS.

Ante leves ergo pascentur in aethere cervi,
Et freta destituent nudos in litore pisces;
Ante, pererratis amborum finibus, exsul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

MELIBOEUS.

At nos hinc alii sitientes ibimus Afros;
Pars Scythiam et rapidum Cretae veniemus Oaxem

solet. Pro *Hinc tibi* in v. 54. et *Hinc alta* dedi *Hic*, ut versu 52.; nam *Meliboeus* digitum intendit in designata loca. Sexcenties autem voces *Hic* et *Hinc* confusa sunt a librariis. vid. *Drakenb.* ad Liv. XXVI. 16 §. 9. — Pro inepta lectione *semper* servatis quatuor litteris S. P. E. R. mihi legendum videtur *superat*, et totus locus scribendus et distinguendus sic: *Hic, tibi quae superat, vicino ab limite sepes Hyblaeis apibus florem depasta salicti, saepe levi somnum suadebit inire susurro; — tibi quae superat*, quae tibi manet libera a veteranorum occupatione, cuius tu porro manes dominus; respondet versui 47. *ergo tua rura manebunt*. — *superare* de rebus, quae manent salvae atque integrae, ut infr. IX, 27. *superet modo Mantua nobis*, maneat modo intacta a veteranis agrorum Mantuanorum possessio. cf. Horat. Sat. II, 2, 102. et Epist. ad Pis. 328. — *Hybl. apibus florem depasta salicti*, ubi flos salicti depasci solet ab apibus Hyblaeis; *Hyblaeus* apum epitheton ornans ab *Hybla*, tam urbe quam monte in Sicilia, thymi, cuius imprimis appetentes sunt apes, feracissimo.

v. 57. *frondator*, qui in silvis, arbustis et hortis inutiles ramos et frondes arborum et vitium falce amputat purgatque.

v. 59. *gemere*, proprie et significanter de cantu sive sonis turturum, nos: *girren*.

v. 62. *exsul*, e patria in remotas terras profectus.

v. 63. *Ararim*. — *Arar*, vel *Araris*, fluvius Galliae Celticae, infra Lugdunum in Rhodanum se exonerans. — *Tigrim*, nobiliorem in Asia fluvium, qui ob rapidum cursum a sagitta (apud Medos et Armenios *tigride*) *Tigris* appellatus est. Noli vero mirari, pastorem Tityrum tam docte loqui; loquitur enim doctus poeta Virgilius, qui personam pastoris Tityri induit.

v. 65. *sitientes Afros*, apud quos terra ob solis aestum finditur et rimas agit; sic *hortus, arbor* cett. *sitiens*.

v. 66. *Oaxem rapidum* (vehe-

Et penitus toto divisos orbe Britannos.
En, unquam patrios longo post tempore fines,
Pauperis et tuguri congestum cespite culmen,
Post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?
Impius haec tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has segetes? en, quo discordia cives
Produxit miseros! en, quis consevimus agros!
Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vites.
Ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
Non ego vos posthac, viridi proiectus in antro,
Dumosa pendere procul de rupe videbo;
Carmina nulla canam; non, me pascente, capellae,
Florentem cytisum et salices carpetis amaras.

TITYRUS.

Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
Fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,

mentiore impetu decurrentem) fluvium non in Creta, sed in Mesopotamia fuisse observat ad h. l. Servius.

v. 67. *Et penitus toto div. orbe Britannos.* Voss: *Ja zu dem fern entlegenen Britannier außer dem Weltkreis.*

v. 67—70. *En, unquam patrios* cett. Sensus et nexus: Unquamne ego postea et quidem post longum tempus (*videns*) revisens patrios fines et culmen pauperis tugurii cespite congestum (*regna mea*), ubi in agris meis vitam vivebam iucundissimam, num postea, inquam, (*aliquot*) paucas tantum ob neglectum agrorum cultum aristas inveniam? — *mea regna*, qui in vitae quadam ratione vel loco aliquo mirifice sibi placent et suaviter vivunt, ii eleganter ibi *regnare* dicuntur. Hinc Horatius Epist. I, 10, 8. vitam rusticam urbanae praeferens: — *vivo et rego, simul ista* (urbem) *reliqui, Quae vos ad coelum effertis rumore secundo.*

v. 74—79. *Insere nunc, Meliboee, piros* cett. Meliboeus non sine acerbo dolore et indignatione de imminente agrorum suorum perdendorum periculo semet ipsum alloquitur: I nunc, et, qua adhuc fruitus es felicitate rustica, ea porro fruere. Et nunc memorat quaedam, ad dulcissimam vitae rusticae voluptatem spectantia. — *pone ordine*, nempe ad ordinem quincuncem.

v. 77. *pendere procul de rupe.* eandem imaginem, quae non sine dulci voluptate obversari solet ruris viventibus, adumbravit poetarum Germanorum longe dulcissimus, *Kleistius*, in Carmine *Menalk* inscripto: *Itzt werd' ich nicht, wie sonst, die rauhen Faunen gehn,*

Castaneae molles et pressi copia lactis,
Et iam summa procul villarum culmina fumant,
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

ECLOGA II.

ALEXIS.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini, nec, quid speraret, habebat;
Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos
Assidue veniebat. Ibi haec incondita solus
Montibus et silvis studio iactabat inani:
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
Nil nostri miserere? mori me denique coges.

Und Ziegen über uns am Felsen klettern sehn.

v. 82. *pressi copia lactis*, caseus.

ECLOGA II.

Poeta, ut in hoc carmine ante oculos ponat, quomodo insani utriusque sexus amores hominum animos pervertant et ad stultissima quaeque rapiant, Corydonis formosum Alexin perdite amantis insaniam enarrat. Hic Corydon igitur ita loquitur et agit, ita amoris vi huc illuc impellitur, ita in amoris furore insanit, ut sicut Phaedrio apud Terentium in Eunucho pro miserrime amantis exemplo, quod poeta animi humani et amorum perspicacissimus proposuit, haberi possit. Errant, qui Virgilium per Corydonem et Alexin nescio quos intellexisse et derisisse autumant, immo poeta, ut hinc illinc Theocritum imitaretur (Idyll. III. XI. XXIII.), rem omnem finxit.

v. 1. *ardebat Alexin. ardere aliquem vel aliquam* pro: ob aliquem vel aliquam amoris ardore flagrare. cf. Horat. Od. II, 4, 7. et III, 9, 6.

v. 2. *delicias domini*, quem in deliciis simul habebat dominus. — *nec, quid speraret, habebat*, nec ob hanc rivalitatem amoris sui fructum aliquem sperare poterat.

v. 4. *haec incondita*, intellige abruptas amantium exclamationes, vel verba, quae temere et sine nexu aliquo ab amantibus pronuntiantur. — *montibus et silvis iactabat*, ad montes et silvas iaciebat. In graviore scilicet animi affectione homines soli, nemine respondente, secum agere et loqui solent.

v. 7. *mori me denique coges*, gravius Theocrit. Idyll. III, 9. ἀπάγξασθαί μ᾽ ποιήσεις.

Nunc etiam pecudes umbras et frigora captant,
Nunc virides etiam occultant spineta lacertos,
Thestylis et rapido fessis messoribus aestu
Allia serpyllumque herbas contundit olentes:
At mecum raucis, tua dum vestigia lustro,
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
Nonne fuit satius tristes Amaryllidis iras
Atque superba pati fastidia? nonne Menalcan?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimium ne crede colori!
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
Despectus tibi sum, nec, qui sim, quaeris, Alexi,
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meae Siculis errant in montibus agnae;
Lac mihi non aestate novum, non frigore defit.
Canto, quae solitus, si quando armenta vocabat,
Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho.

v. 8—13. *Nunc etiam* cett. Sensus: Nunc est tempus meridianum, quo tam homines quam pecudes meridiandi causa requiescere et corpus curare solent; at ego dum in solis aestu te exquirens vestigia tua lego, dumque amores meos cano, (*mecum*) cicadae simul in arbustis canentes resonant. *occult. spin. lacert.* ad solis aestum vitandum lacerti se recipere solent in spineta (*Dornbüsche*).

v. 11. *serpyllum* (*Quendel*) *contundit. contundere*, in particulas dissecando comminuere; nos: *einschneiden, zu rechte machen.*

v. 14. *tristes*, non sine dolore ferendas.

v. 15. *superba fastidia*, intelligo superbiam et asperitatem, qua Amaryllis repugnaverat poetae amoribus.

v. 18. *ligustra*, *Rainweide*. — *leguntur*, decerpuntur et flaccescunt.

v. 21. *Siculis*, epitheton ornans; non enim *montes Siculos* in sensu proprio accipio, sed de pastore, qui, sicut in Sicilia, numerosos in fecundis Siciliae montibus ovium greges ducit.

v. 24. *Amphion*, rex Thebanus, Iovis et Antiopes filius, tanta suavitate lyra cecinisse dicitur, ut acciti eius sonis lapides, cum muri Thebani exstruerentur, suum quisque locum et ordinem sponte in muro exstruendo occuparet. — *vocabat*, lyra convocabat armenta, pastori adesse et eum cingere iubebat. — *Aracyntho*, monte Thebano in Boeotia. — *Actaeo*, litorali. — *Dircaeus*, Thebanus, a fonte Thebano *Dirce* ita dictus.

Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi,
Quum placidum ventis staret mare. Non ego Daphnin
Iudice te metuam, si nunquam fallat imago.
O tantum libeat mecum tibi sordida rura
Atque humiles habitare casas, et figere cervos,
Haedorumque gregem viridi compellere hibisco!
Mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit; Pan curat oves oviumque magistros.
Nec te poeniteat calamo trivisse labellum:
Haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas!
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: Te nunc habet ista secundum.
Dixit Damoetas; invidit stultus Amyntas.
Praeterea duo, nec tuta mihi valle reperti,
Capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo,
Bina die siccant ovis ubera; quos tibi servo.
Iam pridem a me illos abducere Thestylis orat,
Et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.

v. 25—27. *Quum plac. v. staret mare*, cum mare, non ventis exasperatum, quietum staret, haud fluctuaret. — *non ego Daphnin Iud. te met.* nos: *ich will es wohl in Rücksicht der Gestalt nach deinem eignen Urtheil mit dem Daphnis ansehen.*

v. 28. *tibi sordida rura*, quae tibi sordent, tibi sunt fastidio.

v. 30. *viridi hibisco.* qui *hibiscum* de virga, qua greges compelluntur, explicant, videant, an epitheton *viridis* conveniat huic generi. Rectius igitur, puto, *Serubius* explicat: *viridi hibisco*, ad hibiscum; *hibiscus* vel *hibiscum* est herba vel planta pabulasis vel esculenta.

v. 33. *oviumque magistros*, et eos, qui gregibus moderandis praesunt, pastores.

v. 35. *Haec ead. ut sciret* ostt. ut artem canendi sibi compararet, quantum studii et operae impendebat Amyntas.

v. 40. *nec tuta valle*, nec illi sine vitae periculo ob feras bestias in valle aliqua (*haud tuta*) reperti; quod aliquis facit vitae periculo expositus, id in eo malere pretio ponendum est.

v. 41. *duo capreoli*, zwei junge Rehe oder Rehböckchen.

v. 42. *sparsis et. pell. albo*, ad hoc usque tempus albis maculis vel notis distincti.

v. 44. *Et faciet*, et vere abducet, et hoc fiet.

Huc ades, o formose puer: tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphae calathis; tibi candida Nais,
Pallentes violas et summa papavera carpens,
Narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
Tum, casia atque aliis intexens suavibus herbis,
Mollia luteola pingit vaccinia caltha.
Ipse ego cana legam tenera lanugine mala
Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
Addam cerea pruna; honos erit huic quoque pomo;
Et vos, o lauri, carpam et te, proxima myrte;
Sic positae quoniam suaves miscetis odores.

v. 45 — 55. Ad Alexin sibi conciliandum pergit poeta laudibus extollere divina dona, quae rure viventibus contingant; ipsae Nymphae in calathis pulcherrimos fragrantissimosque flores ad serta vel corollas nectendas apportant, et scite inter se iungunt; et nunc sequuntur florum nomina, quae, uti fere apud nos vocantur, ex *Heynii* et *Vossii* commentariis in medium proferam.

v. 46. *candida*, pulchra; ut *candida Dido* Virg. Aen. V, 571. *candidus Iason* Horat. Epod. 3, 9. et saepe.

v. 47. *pallentes violas*, sunt nostrae violae flavae, *gelbe Violen*, inter vernos flores numerandae. *Vossius*: *helle Violen*. — *papavera* sunt ex genere silvestri, flore rufo, quae in arvis cum hordeo maxime nascuntur. — *summa* refero ad altitudinem, ad quam *papaver* excrescit et super alias herbas se extollit. *Vossius*: Prachtmohn.

v. 48. *narcissus* ex eo utique genere est, quod nos ita appellamus (Narcisse). — *anethum* nostrum *Dill* esse putatur, quod et in nostris hortis conspicitur, flore flavo.

v. 49. *casia*, quam vulgo *lavendulam* nostram esse putant. Recentiores docent *casiam* esse genus herbae, alio nomine *cneoron* s. *thymelaea*, odoratum et ramosum, cuius folia adhibentur corollis iungendis. *Vossius*: *Zeilandlaub*.

v. 49. *intexens*, pro: quas intexebat, sc. alias herbas. Sic Virgil. Aen. VII, 487—8. *omni Silvia cura Mollibus intexens ornabat cornua sertis* pro: ornabat cornua sertis, (*intexens*) quae intexebat. — *pingit*, variat, suaviter colorat, distinguit.

v. 50. *caltha*, *Ringelblume*. — *vaccinia*, *Schwertlilie* oder *Türkenbund*.

v. 51. *cana* — *mala*. intelligunt vulgo mala cydonia, s. cotonea, nobis *Quitten*, quae cana lana vel lanugine obducuntur, ut constat.

v. 53. *cerea*, refer ad luteum vel flavum prunorum colorem. — *honos erit huic quoque pomo*, hoc quoque pomum in serto honorem et pretium suum tuebitur.

v. 54. *proxima*, proximum vel vicinum locum iuxta laurum occupans.

Rusticus es, Corydon; nec munera curat Alexis,
Nec, si muneribus certes, concedat Iolas.
Heu, heu, quid volui misero mihi? floribus Austrum
Perditus et liquidis immisi fontibus apros.
Quem fugis, ah demens? habitarunt di quoque silvas
Dardaniusque Paris. Pallas, quas condidit, arces
Ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae.
Torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam;
Florentem cytisum sequitur lasciva capella;
Te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.
Adspice, aratra iugo referunt suspensa iuvenci,
Et sol crescentes decedens duplicat umbras;
Me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?
Ah Corydon, Corydon, quae te dementia cepit!
Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.
Quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
Viminibus mollique paras detexere iunco?
Invenies alium, si te hic fastidit, Alexin.

v. 56. *Rusticus es, Corydon.* Corydon se ipsum alloquitur: at ego sum rusticus, homo rudis et incultus.

v. 57. *concedat Iolas*, nec mihi muneribus certanti Iolas Alexin concessurus esse videatur.

v. 62. *silvae*, vita rustica.

v. 66. *Adspice, aratra iugo* cett. suavissima temporis vespertini descriptio, quo boves labore fessos aratrum domum revehentes videmus. Graeci una voce illud tempus *βουλυτός* appellant.

v. 70. *Semiputata tibi* cett. cf. Theocr. XI, 72 seqq.

ECLOGA III.

PALAEMON.

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

MENALCAS.

Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?

DAMOETAS.

Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.

MENALCAS.

Infelix o semper, oves, pecus! ipse Neaeram
Dum fovet ac, ne me sibi praeferat illa, veretur,
Hic alienus oves custos bis mulget in hora,
Et succus pecori et lac subducitur agnis.

DAMOETAS.

Parcius ista viris tamen obiicienda memento.
Novimus et qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphae risere, sacello.

ECLOG. III.

Hoc carmen haberi potest pro illustri exemplo moris et normae, ad quam alterno vel amoebaeo carmine cum socio aliquo certaturi sese accommodare debebant. Scilicet quot versus alter certantium praecinuerat, totidem versus alter, certamen cum illo initurus, non quidem in eandem, quam prior expresserat, sed in diversam, quaecunque placuisset, sententiam reponere tenebatur, modo reposita sententia esset gravior, sublimior, splendidior et praestantior ea, quae ab adversario expressa esset. Ceterum spurcissima opprobria et maledicta, quibus duo pastores, Menalcas et Damoetas, ante carminis amoebaei cantum se invicem excipiunt petuntque, nulli profecto lectorum placere et probari possunt, immo cuique eorum erunt taedio et contemtui. — Confer imprimis, quae hausit Virgilius ex Theocriti Idyll. IV. et V.

v. 1. *cuium*, prisca forma pro: *cuius*.

v. 2. *mihi tradidit* sc. pascendum vel custodiendum. Fuit igitur Damoetas servilis conditionis pastor apud agrorum dominum Aegonem.

v. 4. *fovet* sc. in ulnis, h. e. amplectitur.

v. 7. *viris*, iis, qui viros se praestant nec turpi libidine polluuntur.

v. 8. *qui te*. opportune et pudice per aposiopesin omissum est verbum obscenum aliquod, e. c. corruperit, paedicaverit, tarpem libidinem apud te exercuerit. — *transversa* neutrum pro adverbio *transverse*, dum hirci libidinis

MENALCAS.

Tum, credo, quum me arbustum videre Miconis
Atque mala vites incidere falce novellas.

DAMOETAS.

Aut hic ad veteres fagos, quum Daphnidis arcum
Fregisti et calamos, quae tu, perverse Menalca,
Et, quum vidisti puero donata, dolebas,
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

MENALCAS.

Quid domini faciant, audent quum talia fures!
Non ego te vidi Damoeta, pessime, caprum
Excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
Et quum clamarem: Quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus! tu post carecta latebas.

DAMOETAS.

An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula, caprum?
Si nescis, meus ille caper fuit, et mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.

exercitum et actum adspiciebant *obliquis oculis*. — v. 9. *facilem*, quae in re amatoria non sunt difficiles. — *sacello*, Nymphis nempe sacro.

v. 11. *mala falce*, malo animo ad Miconis arbustum et vites incidendo corrumpendas adhibita.

v. 14. *quae tu — dolebas*, quae (*arcum* et *calamos*), inepte vel absurde Menalca, tam Daphnidi, quam puero, cui illa donaverat Daphnis, invidebas.

v. 15. *aliqua*, sc. ratione. — *mortuus esses*, nos quoque: *wärst du vor Aerger gestorben*.

v. 16. *fures*, servi, qui sunt fures. Sensus: quomodo se gerant domini, vel quid exspectandum sit a dominis, cum servi, sicut tu, furtum committere audent? *Servi* igitur h. l. acerbe et contemtim vocantur *fures*, respecto habito Damoetae, qui in furto capri deprehensus fuerat. Apud nos quoque in patrio sermone saepius vocatur aliquis *ein Spitzbube*, proprio eius nomine omisso.

v. 20. *Tityre*, intellige servilis conditionis pastorem aliquem apud Damonis gregem, qui satis notum inter pastores nomen Tityri gerebat. In prima Ecloga sub Tityri nomine latet Virgilius.

v. 21—22. *An mihi cantando* cett. oratio in his duobus versibus est paulo impeditior et iusto copiosior. Sensus: An non fuit caper, quem (*ille*) Damon, cantando victus, dare vel tradere nollet?

v. 24. *reddere posse*, se a se impetrare non posse, ut caprum tradat.

MENALCAS.

Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

DAMOETAS.

Vis ergo, inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus)
Depono; tu dic, mecum quo pignore certes.

MENALCAS.

De grege non ausim quidquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est iniusta noverca,
Bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
Verum, id quod multo tute ipse fatebere maius,
(Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis,
Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos edera vestit pallente corymbos.

v. 25. *Cantando tu illum*, sc. te vicisse lactas?

v. 27. *Stridenti stipula*, nos: *auf einer schnarrenden Halmpfeife.* — *miserum carmen*, inepte compositum. Plaut. Pseud. I, 1, 72. *Est misere scriptum, Pseudole?* Pseud. *miserrime.* — *disperdere*, nos: *verhunzen.*

v. 29. *ne forte recus.*, ne forte vitulam, h. e. iuvencam, tanquam pignus vilioris pretii, repudies, scilicet: *bis venit ad mulctram* cett.

v. 33. *iniusta*, nimis severa.

v. 34. *alter*, pater, vel pro: *alteruter.*

v. 36. *Insanire libet quoniam tibi*, quoniam insano consilio rem tentare audes, cui perficiendae tu plane impar es, certaturus scilicet mecum in carminis cantu iucundo.

v. 36. *pocula — cael. div. Alcim.* — *pocula fagina*, duo nempe, quia Damoetas quoque duo pocula v. 44. ponit. — *Alcimedon*, qui in arte scalpendi et caelandi mirifice tum excelluisse videtur, unde vocatur *divinus*, quia *divinum* in artis operibus ostendebat *ingenium.* — *caelatum opus*, toreuma, caelo elaboratum et effictum; tam *caelum*, quam *tornus*, sunt instrumenta, quibus fabri vel artifices ad opera caelanda, tornanda, polienda, leviganda et signis vel figuris instruenda utuntur (nos: *Grabstichel, Meissel, Dreheisen*). Nobilissimus artifex Alcimedon insculpserat dictis poculis vitem, cuius folia amplectebantur racemos ab hedera diffusos; hoc expressit poeta sic: *quibus poculis* (in dativo) *vitis lenta* (flexibilis, vel quae facile incurvatur), *torno*

In medio duo signa, Conon et — quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem,
Tempora quae messor, quae curvus arator haberet?
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.

DAMOETAS.

Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho,
Orpheaque in medio posuit silvasque sequentes.
Necdum illis labra admovi, sed condita servo.
Si ad vitulam spectas, nihil est, quod pocula laudes.

MENALCAS.

Numquam hodie effugies; veniam, quocunque vocaris.
Audiat haec tantum . . . vel qui venit, ecce, Palaemon.
Efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.

DAMOETAS.

Quin age, si quid habes; in me mora non erit ulla,
Nec quemquam fugio; tantum, vicine Palaemon,
Sensibus haec imis, res est non parva, reponas.

facili (facili et docta manu tractato) *superaddita* (in exteriore poculorum ambitu vel lateribus expressa), *vestit corymbos*, inumbrat, amplectitur, contegit, *corymbos*, racemos hederaceos (*Epheutäubchen*).

v. 40. *Conon.* de *Conone*, celeberrimo mathematico et astronomo, qui Ptolemaei Philadelphi aetate vixit, lege quae disputat *Muretus* ad Catull. LXVI, 7. — *Conon et — quis fuit alter* cett. Post *et* signum abruptae plane orationis apponi iussi; volebat nomen alterius viri celeberrimi afferre, sed non succurrebat nomen; itaque *et quis* cett. *und, ich kann mich nicht besinnen, wie hieſs doch der?* cett.

v. 45. *acanthus*, nos: *Bärenklau*, cuius natura est tenera et *mollis*.

v. 45. *veniam, quocunque vocaris*, nos: *ich bin bereit und werde überall meinen Mann stehen*, ut fere v. 52. *in me mora non erit ulla*.

v. 50. *Audiat haec tantum.* dum Menalcas in eo est, ut nominet aliquem, qui arbitri partes sustinere possit in dicto certamine, ecce conspicitur et advocatur vicinus Palaemon, cui iusti arbitri partes demandantur.

v. 52. *si quid habes*, si, quod decantes, in promtu habes, ut infr. IX, 32.

v. 53. *Nec quemquam fugio*, nec ullum canendo mecum certaturum reformido vel extimesco; nos; *ich scheue es im Singen mit jedem an.*

PALAEMON.

Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor;
Nunc frondent silvae; nunc formosissimus annus.
Incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
Alternis dicetis; amant alterna Camenae.

DAMOETAS.

Ab Iove principium, Musae: Iovis omnia plena;
Ille colit terras, illi mea carmina curae.

MENALCAS.

Et me Phoebus amat; Phoebo sua semper apud me
Munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.

DAMOETAS.

Malo me Galatea petit, lasciva puella,
Et fugit ad salices, et se cupit ante videri.

MENALCAS.

At mihi sese offert ultro, meus ignis, Amyntas,
Notior ut iam sit canibus non Delia nostris.

DAMOETAS.

Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
Ipse locum, aëriae quo congessere palumbes.

v. 55—59. *Dicite, quandoquidem* cett. En imaginem adumbratam coloribus longe pulcherrimis! Conspicimus tempore veris, quo omnia rident, florent et suaviter oculos pascunt, duos pastores in toro gramineo recubantes et carmen alternum canentes.

v. 56. *Et nunc omnis ager* cett. comparant Bion. Idyll. VI, 17: Ἔλαφι πάντα νέει, πάντ' ἔλαφος δόδια βλαστεῖ.

v. 60. *Ab Iove principium, Musae.* accommodate ad sententiam gravissimam, *omnium rerum principium repetendum esse ab Iove*, poetae quoque in carminum initiis Iovis laudes canunt. — Caeterum hic versus, ut iam monuit *Servius*, ex Arati principio Phaenomenorum translatus est. cf. *Cerda.* — *Iovis omnia plena*, πάντα Διὸς πλήρη εἶναι, vario sensu accipitur et explicatur, vid. *Gesner. Comment. Soc. Gotting.* T. I. p. 87.

v. 61. *colit terras*, terrarum cultui prospicit.

v. 66. *meus ignis*, quem amo, cuius amore uror et ardeo, vel accendor; vide quae de voce *ignis* in hoc sensu observavimus ad Horat. Sat. II, 3, 276.

v. 67. *Delia*, amica.

v. 69. *congessere*, nidum habuerunt, congestis nempe iis, e quibus nidos palumbes construere solent.

MENALCAS.

Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi; cras altera mittam.

DAMOETAS.

O quoties et quae nobis Galatea locuta est!
Partem aliquam, venti, divûm referatis ad aures!

MENALCAS.

Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?

DAMOETAS.

Phyllida mitte mihi; meus est natalis, Iola;
Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.

MENALCAS.

Phyllida amo ante alias; nam me discedere flevit,
Et, Longum, formose, vale, vale, inquit, Iola.

DAMOETAS.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.

MENALCAS.

Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis,
Lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.

DAMOETAS.

Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro.

v. 71. *Aurea mala*, mala cydonia (nos: *Quitten*), quorum species quaedam dicitur *chrysomelon*. — *cras altera*, alia, plura vel cetera, si nempe lectorum *malorum cydoniorum* in duas partes divisorum alteram partem hodie misit, alteram cras missurus erat.

v. 75. *Si*, *dum* cett. si, dum tu ad apros sectandos a me discedis, ego solus ad retia observanda a te relinquor.

v. 77. *faciam vitula*. — *facere*, ut θύειν apud Graecos, simpliciter pro *sacra facere*. — *vitula*, oblata vel mactata vitula. — *pro frugibus*, designatur igitur sacrum ambarvale, de quo vid. Virgil. Georg. I, 345. Tibull. I, 1, 21. et Lib. II. Eleg. 1.

v. 79. *Longum vale*, μακρὰ χαῖρε.

v. 80. *Triste*, sc. quid, aliquid; lupus est infestus stabulis, imbres sunt pernicioso maturis frugibus et venti arboribus.

v. 82. *depulsis*, sc. lacte. — *arbutus*, *Erdbeerbaum*.

v. 84. *Pollio*. — *C. Asinius Pollio*, vir consularis, gratiosus et

MENALCAS.

Pollio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,
Iam cornu petat et pedibus qui spargat arenam.

DAMOETAS.

Qui te, Pollio, amat, veniat, quo te quoque gaudet;
Mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.

MENALCAS.

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Maevi, 90
Atque idem iungat vulpes et mulgeat hircos.

DAMOETAS.

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.

MENALCAS.

Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae
Creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccat. 95

carus imprimis Augusto, poeta et poetarum, nominatim Horatii et Virgilii, amicus et summus patronus. Vide quae *Vossius* ad h. l. erudite de hoc viro disputat. — v. 85. *Pierides, vit. lect. pasc. vestro.* hic versus plures, sed neutiquam probabiles, interpretationes expertus est. Equidem eum cum praecedente simpliciter interpretor sic: Pollio carmina nostra pastoritia amat legitque; huic igitur, o Musae, carminum pastoritiorum praesidio vestro scriptorum lectori, Pollioni, pascite vitulam, ei, tanquam deo, mactandam.

v. 86. *nova carmina*, tragica (*cf.* Horat. Od. II, 1, 9.), nova arte composita, h. e. praestantissima. — *taurum*, ut grandiorem et maioris pretii hostiam; ceterum poeta in v. 87. imaginem iuvenis tauri, luxuriantis et lascivientis, ante oculos posuit vivis coloribus adumbratam.

v. 88. *gaudet* sc. venisse; qui te ut magnum poetam admiratur, is assequatur gloriam, quam tu assecutus es.

v. 89. *amomum*, e quo exprimebatur balsamum vel unguentum praestantissimum; designare poeta voluit vitam *dulcissimam suavissimamque.*

v. 90—91. Ut Pollionis, poetae nobilissimi, gloria eo magis exsplendescat, pessimorum poetarum Bavii et Maevii fit mentio. — *Maevium* sale satyrico perfricat Horatius Epod. X. — *iungat*, sc. aratro.

v. 93. *Frigidus*, refer ad naturam anguium, quorum venas implet *sanguis frigidior.* ὄφις ψυχρός apud Theocr. XV, 58.

v. 94. *Parcite, oves, nimium procedere*, cavete vobis, o oves, ne iusto ulterius in ripa progressae in aquam delabamini; *non bene ripae creditur*, ripa eos, qui nimis secure se illi credunt, fallit;

DAMOETAS.

Tityre, pascentes a flumine reice capellas;
Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.

MENALCAS.

Cogite oves, pueri; si lac praeceperit aestus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.

DAMOETAS.

Heu, heu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo!
Idem amor exitium pecori pecorisque magistro.

MENALCAS.

His certe neque amor caussa est; vix ossibus haerent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

DAMOETAS.

Dic, quibus in terris, et eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat coeli spatium non amplius ulnas.

MENALCAS.

Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores, et Phyllida solus habeto.

ipse aries delapsus e ripa in aquam vellera etiam nunc madentia aqua siccanda curat.

v. 98. *si lac praecep. aestus*, exhauserit, exsiccaverit; lac ovium, antequam opiliones ubera pressando illud capiunt, solis aestus praecipit, absumit.

v. 100. *pingui in ervo. ervum* genus quoddam leguminis, simile fere illi, quod nos dicimus *Wicken*.

v. 105. *Tres pat. coel. sp.* cett. scilicet si quis ex loco alte depresso, cuius pars superior vel exitus tres tantum ulnas patet, sursum tollit oculos, ei non ultra tres ulnas coeli spatium vel species offertur.

v. 106. *inscripti nomina regum*, intellige flores hyacinthos vel *vaccinia*. Hyacinthus Amyclae, eius, qui Amyclas, urbem in Laconia, condidit, filius ab ipsius amatore Phoebo ex improviso disco ictus periit; *Aiax*, Telamonis filius. In flore *hyacintho* conspiciuntur particulae vel quaedam lineolae, quae referunt fere Graecorum *αἰ, αἰ*; hinc Phoebus apud Ovid. Metam. X, 215. *Ipse suos gemitus foliis inscribit, et ai ai Flos habet inscriptum, funestaque litera ducta est.* — E sanguine quoque Aiacis, cum ille insania captus in castris ante Troiam vim sibi intulisset, lamentabiles litterae Ai in hyacintho enatae esse finguntur. Hac accedit, quod *Αἰ* primae litterae nominis Aiacis sunt.

PALAEMON.

Non nostrum inter vos tantas componere lites.
Et vitula tu dignus, et hic. At quisquis amores
Aut metuat dulces, aut experietur amaros.
Claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

ECLOGA IV.

P O L L I O.

Sicelides Musae, paullo maiora canamus;
Non omnes arbusta iuvant humilesque myricae.
Si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

v. 108. *tantas lites*, tantae gravitatis et praestantiae carmen amoebaeum; *componere*, diiudicare et pretium victori adiudicare. — *Et vitula tu dignus, et hic*, ergo neuter alterum in certamine vicit, sed communis utrique in arte canendi laus debebatur.

v. 109—10. *At quisquis amores* cett. Ex hoc loco, ut nunc ille legitur, ad *Heynii*, longe doctissimi Virgilii interpretis, sententiam vix elici potest sensus commodus. Nec facile acquiescas in iis, quae post *Heynium* ad hunc locum a vitio purgandum allata sunt. Equidem in *Prolusione* (supra ad Eclog. I, 56. memorata) ex coniectura proposui lectionem hanc: *Ita quisquis amores Aut metuat dulces aut experiatur amaros*. Neque adhuc me poenitet huius emendationis. Sensus: *Ita*, ad vestrum exemplum, *quisquis* (exempla de voce *quisquis* pro *quivis alius* vide ad Catull. LXVIII, 28.) tam amoris dulcedinem quam eius amaritudinem canendo exprimat. Amoris quidem dulcedinem canendo expressit Menalcas v. 82. 83., amoris *amaritudinem* vero Damoetas 80, 81. De amoris vi et perturbationibus notum illud Ovidii Heroid. *Res est solliciti plena timoris amor*.

v. 111. *Claudite* cett. finito certamine Menalcas domum redire videtur, dum servos ad prata riganda deductos rivos claudere iubet.

ECLOGA IV.

Laudes C. Asinii Pollionis canuntur in hac Ecloga, cui, tanquam titulus, *nomen Pollionis* praefixum est. — Pollio consul fuit cum Domitio Calvino U. C. 714. Cum igitur hoc anno consuli Pollioni natus esset filius, Virgilius hanc occasionem Pollioni de hac nova gentis Pollianae propagandae spe gratulandi cupide amplexus est, dum simul, ut vates, praedicit summas illas virtutes, quibus recens natus puer aliquando de civitate Romana egregie

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
Iam nova progenies coelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.

meriturus sit. Iam sub patris auspiciis ait efflorescere coepisse laetiora tempora, imperante vero aliquando filio aetatem auream redituram esse; et sic viam sibi munit poeta ad aurcae aetatis descriptionem, in qua optimi quique poetae exsplendescere et exsultare studuerunt.

Est igitur haec Ecloga carmen, quod dixeris *genethliacum* vel *natalicium*.

v. 1—3. *Sicelides Musae, paulo* cett. Adeste mihi, Musae, quae adfuistis carmina bucolica canenti poetae Siculo, Theocrito; *paulo maiora*, sublimioris et gravioris argumenti carmina; per *arbusta* (*niedriges Gesträucke*) et per *myricas* (virgulta humiliora, *Tamarisken*) designantur carmina humiliora et leviora. — *Si canimus silvas*, altiora carmina, sublimiora: — *arbustis* et *myricis* opponuntur *silvae*, quae alunt arbores grandiores, vel ubi surgunt arbores celsiores. — *silvae sint consule dignae*, altiora illa respondeant consulis altitudini.

v. 4. *Ultima Cumaei ven. iam carm. aetas.* decem Sibyllas, quae carminibus ediderint vaticinia, exstitisse tradunt, quarum cuique ab earum patria nomen adiicitur. Iam sermo est de Sibylla *Cumana* vel *Cumaea*, a *Cumis* (urbe in Italia), cuius *carmen* vel vaticinium plures aetates complectebatur. Harum una iam erat ultima vel extrema; qua peracta magnus saeculorum ordo ab integro nasci debebat, et quidem primo loco saeculum Saturnium sive *aurea aetas*.

v. 6. *Virgo*, Iustitia, quae aetate ferrea, cum corruptos hominum mores diutius ferre non potuisset, e terris in coelum aufugerat.

v. 7. *Iam nova progenies* cett. equidem *novam progeniem* ob versum sequentem accipio de recens nato Pollionis filio et de novo genere hominum, quales aetate aurea vixerint.

v. 10. *casta Lucina fave*, Diana, quae, quia opera obstetricia in lucem producit infantes, vocatur quoque *Lucina*. Facete de hoc Dianae munere *Timaeus* apud Cic. de Nat. D. II, 27. *cum in historia dixisset, qua nocte natus Alexander esset, eadem Dianae Ephesiae templum deflagrasse, adiunxit, minime id esse mirum, quod Diana, cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* — *tuus iam regnat Apollo, Teque adeo* cett. hic locus iam varias expertus est explicationes, nec deerit, puto, in posterum explicationum varietas. Equidem hanc locum ita intelligo: iam Pollio, aeque ac frater tuus,

Teque adeo decus hoc aevi, te Consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
Te duce, si qua manent, sceleris vestigia nostri
Irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille deûm vitam accipiet, divisque videbit
Permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu,
Errantes ederas passim cum baccare tellus
Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
Ipsae lacte domum referent distenta capellae
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.
At simul heroum laudes et facta parentis
Iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus:
Molli paullatim flavescet campus arista,

Apollo, tibi carus, (*regnat*) praeest civitati, et te consule, o Pollio, te, inquam, consule, nova temporum felicitas capiet initium, incipiet. — *inibit* sc. cursum suum.

v. 12. *magni menses*, magna rerum gestarum gloria incliti.

v. 14. *irrita*, ut vana, innoxia.

v. 15. *deûm vitam accipiet*, versabitur ut heros cum diis, sicut aurea aetate.

v. 17. *pacatumque orbem*. respicitur imprimis pax, Maecenatis et Pollionis consiliis inter Octavianum et M. Antonium Puteolis composita. — *patriis virtutibus*, patris Pollionis sapientia.

v. 18. *nullo munuscula cultu*, sponte nascentia.

v. 19. *bacear*, radix odorata, a quibusdam *nardum rusticum* vocatur. Plin. XXI, 6. s. 16.

v. 20. *fundet*, gignet; *fundere* de frugibus et animalibus, quae non gravi sed levi opera pariuntur et quasi effunduntur. — *colocasia*, planta palustris Aegyptia.

v. 21—23. *Ipsae — ipsa*, sponte. Notissimum est illud Tibulli (I, 3, 45.) de aurea aetate: *Ipsae mella dabant quercus.*

v. 24. *Occidet et serpens*, e terra tolletur et delebitur; *herb. ven. occidet*, eradicabitur.

v. 25. *amomum*, genus fruticis aromatici.

v. 26. *facta parentis*. affertur quoque in *Var. Lect.* apud *Heynium* lectio *parentum*, ut maiores intelligantur.

v. 27. *et quae sit poteris cognoscere virtus*, et iudicare poteris de vero virtutis pretio.

v. 28. *Moll. paul. flav. campus*

Incultisque rubens pendebit sentibus uva,
Et durae quercus sudabunt roscida mella.
Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
Quae tentare Thetin ratibus, quae cingere muris
Oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
Delectos heroas; erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
Robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;
Nec varios discet mentiri lana colores,
Ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera luto;
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

arista, versus venustissimus pro: frugum paulatim in agris flavescere incipientium ubertatem miraberis; frugum proventus erit largissimus. — *arista molli*, tenera; nam herbae, quae adolescunt, ab initio *tenerae* et *molles* sunt.

v. 30. *mella roscida*, quae roris instar guttatim destillantur, epitheton melli ex arbore guttatim defluenti accommodatissimum.

v. 31. *suberunt*, non aberunt, reperientur. — *priscae fraudis*, eorum, quae olim prisca aetas temere et stulte tentavit. *Thetis*, nympha maris pro ipso mari; *tentare* igitur *ratibus Thetin* eleganter pro: navigare, ut *telluri sulcos infindere* pro: agriculturam exercere.

v. 34. *Tiphys* tam architectus navis, cui nomen est *Argus*, quam Argonautarum in expeditione Colchica gubernator.

v. 35. *erunt etiam altera bella*, bella quoque iterum vel de integro exardescent.

v. 37. *ubi iam firmata virum* cett. ubi vir factus ad firmiorem aetatem perveneris.

v. 38. *Cedet et* cett. haud quisquam amplius se mari committet; *vector*, qui navi vehitur, nauta.

v. 39. *Mutabit merces*, antiquitus enim mercatura versabatur in permutandis (non praesente pecunia emendis) mercibus.

v. 40—42. *Non rastros* cett. sponte omnia in omnibus terris nascentur; non terra rastris fodietur, non vites in vineis falce prementur et purgabuntur, non agri aratro proscindentur, non lana denique colore adulterino inficietur.

v. 43—45. *Ipse sed* cett. sponte in pratis aries geret vellera purpurea, et agnus lutea; *murex*

Talia saecla, suis dixerunt, currite, fusis
Concordes stabili fatorum numine Parcae,
Adgredere o magnos, aderit iam tempus, honores,
Cara deûm suboles, magnum Iovis incrementum!
Adspice convexo nutantem pondere mundum,
Terrasque, tractusque maris, coelumque profundum;
Adspice, venturo laetantur ut omnia saeclo.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae,
Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:

purpura, sive liquor purpureus e sanguine muricis comparatus. — *croceum lutum*, herba lutea, unde elicitur *color luteus*, nos: *goldgelbe Farbe*. — *sandyx*, color ex sandaracha confectus; nos: *Scharlach*.

v. 46—47. *Talia saecla, suis* cett. Eiusmodi futurae aetatis fata prosperrima cecinerunt Parcae *nendo* h. e. fila, quae continerent fata, e fusis deducta. Hinc verus ille intercalaris apud Catullum de Parcis LXIV, 328. *Currite, ducentes subtemina, currite, fusi*; ubi ad v. 312. de antiqua nendi ratione observavimus haec: „Dextra tenetur fusus, qui, postquam dextrae manus pollice et digito indice in gyrum circumactus est, in solo circa nentem currit. In laeva manu tenetur lana vel colus, unde fila deducuntur." — *Concordes stabili fat. num. Parcae.* Parcae, in immutabili fatorum divinitus decretorum constitutione inter se convenientes; simillime Horatius in Carm. Saec. 25 seqq. *Vosque, veraces cecinisse, Parcae, Quod semel dictum est, stabilisque rerum Terminus servat.*

v. 49. *magnum Iovis incrementum*, de Iovis alumno, qui ad eius dignitatem surgit, et extollitur; nos: *groſser Zögling oder Sprößling Jupiters*; dignus, quem Iupiter ut alumnum suum amet et curet.

v. 50. *mund. mundus*, ut κόσμος apud Graecos, coelum; *nutantem*, motus laetitiae edentem concussione aliqua.

v. 53. *O mihi* cett. O si mihi contingat vita ad eum usque terminum, quo simul mihi frui liceat illa venturae aetatis felicitate.

v. 54. *Spiritus et*, et ea poetici ingenii praestantia.

v. 60. *risu cognoscere*, ex laetissimo blandissimoque illo vultu, quo matres infantes adspicere solent.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe, parve puer: cui non risere parentes,
Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

ECLOGA V.

DAPHNIS.

MENALCAS. MOPSUS.

MENALCAS.

Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,
Hic corulis mixtas inter considimus ulmos?

MOPSUS.

Tu maior; tibi me est aequum parere, Menalca,
Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras,

v. 63. *Nec deus hunc mensa.* de prisco loquendi genere: *deorum mensae adhiberi*, pro: inter deos divina dignitate versari, cf. ad Horat. Od. III, 3, 11. et Od. IV, 8, 30.

ECLOGA V.

Rectissime hoc carmen inscribitur *Daphnis*. Nam totum hoc carmen versatur in celebrandis pastoris Daphnidis laudibus, cuius acerbam mortem duo pastores Menalcas et Mopsus insolabiliter canendo defient. — Allegoriarum captatores in hac quoque Eclogâ rem, in qua aperienda ingenii acumen ostentarent, se nactos esse opinati sunt. Alii enim sub Daphnide Iulium Caesarem, alii alios virtus nobilissimos sub eius persona latere somniarunt. Immo *Daphnis* non solum fuit nomen pastoritium, sed idem singularibus virtutibus inter pastores excelluit; plura haud parvi momenti ut pastor instituit, et, ut v. 43. dicitur, *in silvis ad sidera usque notus* fuit.

Aperte Virgilius in hac quoque Ecloga ad exemplum Theocriti se componere voluit. Spirat enim illa Theocritum, pastores carmina pastoritia canentes in medium producentem, Idyll. I. et XIX.

v. 1—3. *boni* — *Tu inflare cal. ego dicere versus*, Graece, bene periti, ego in versibus dicendis, tu in calamis inflandis. — *leves*, lepidos, iocosos, festivos, tam ad *calamos* quam ad *versus* referendum. Theocrit. Idyll. VIII, 3. Ἄμφω συρίσδεν δεδαημένω, ἄμφω ἀείδειν.

v. 4. *maior*, sc. aetate sive natu, quod omitti solet.

v. 5. *umbras incertas*, mobiles, sese promoventes, dum umbrae

Sive antro potius succedimus. Adspice, ut antrum
Silvestris raris sparsit labrusca racemis!

MENALCAS.

Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.

MOPSUS.

Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?

MENALCAS.

Incipe, Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes,
Aut Alconis habes laudes, aut iurgia Codri.
Incipe; pascentes servabit Tityrus haedos.

MOPSUS.

Imo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
Carmina descripsi et modulans alterna notavi,
Experiar. Tu deinde iubeto certet Amyntas.

MENALCAS.

Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.

locum mutant, vel a Zephyris loco moventur.

v. 7. *silvestris labrusca*, nos: *waldige Rebe*. — *Adspice, ut* cett. Adspice et admirare pulchritudinem, qua — *sparsit* cett. Posui post *racemis* signum admirationis! — *raris*, hinc illinc ematis. *rarus* opponitur voci *densus*.

v. 8. *tibi certet*, certamen tecum ineat; *certare* cum dativo, ut Eclog. VIII, 55. *Certent et cygnis ululae*.

v. 9—11. *Quid, si idem* cett. Amyntas sane est homo (φίλανδρος), quem sui ipsius amor caecum reddit; quid mirum igitur, si iste se ipsum Phoebum canendo superare posse stulte confidat? — *Phyllis*, *Alcon*, *Codrus* sunt nomina pastorum; *Alconis* quidem laudator, at *Codri* (fortasse in carmine quodam amoebaeo, a quo non absunt *iurgia* et obtrectationes) adversarius exstiterat *Mopsus*.

v. 13—15. *Imo haec experiar*, in medium proferam. — *et modulans alterna notavi*. explicationem *Heynii*: „alternatim canens versiculum, et eundem mox *incidens in corticem*" vix fert latinitas; Mopsus non sua tantum notavit et fagi cortici incidit, sed etiam quae Menalcas *alternatim* respondit; hinc Menalcas v. 50. *Nos tamen haec quocunque modo tibi nostra vicissim Dicemus*. — *Tu deinde iubeto* cett. quae quidem si Amyntas cognoverit, eum non facile certamen mecum tentaturum esse existimo.

v. 17. *saliunca*, nos: *Narde*.

MOPSUS.

Sed tu desine plura, puer; successimus antro.
Exstinctum Nymphae crudeli funere Daphnin
Flebant; vos coruli testes et flumina Nymphis;
Quum, complexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
Non ulli pastos illis egere diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri silvaeque loquuntur.
Daphnis et Armenias curru subiungere tigres
Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,

v. 19. *plura* sc. in laudem meam addere.

v. 20. *crudeli*, quia mors optimo cuique haud parcit, sed eum saeva manu rapit; sic v. 23. *dii* et *astra* vocantur *crudelia* et sic Plato apud Horat. Od. II, 14, 6. *illacrimabilis*.

v. 24—28. *Non ulli pastos* cett. omnia in agris, nec armenta tantum, quorum pastor fuerat Daphnis, sed leones adeo in silvis Daphnidis mortem luxisse dicuntur.

v. 26. *graminis herbam*, ornate pro simplice: gramen.

v. 27. *Poenos*, epitheton ornans pro quibusvis aliis leonibus.

v. 28. *montes feri*, feris bestiis scatentes et varii generis arboribus obsiti. Sic *nemora fera* apud Catull, LXIII, 89.

v. 29 seqq. *Daphnis et Arm.* pro vulgari „Daphnidis diligentiae et prudentiae debentur Bacchi munera sive vinearum cultura." Enarrat vero poeta quaedam, quae ad Bacchi sacra cultumque pertinent. — *Armenias*, epitheton ornans; *tigres* enim in *Armenia* (regione in Asia inter Taurum et Caucasum montes sita) sedem imprimis vel lustra sua habere solebant. — *curru* (pro *currui*, ut saepe apud poetas) in casu quartae declin. tertio. — *subiungere tigres*, tigres currui subiunctas vices iumentorum subire docuit. — *thiasos*, saltationes, choreas in orgiis. — *Et foliis lent. int. moll. hastas*, thyrsorum descriptio, qui in orgiis quassabantur. — *Thyrsus* scilicet fuit hasta, cuius cuspis hedera vel pampino obtecta et obvoluta fuit. vid. ad Catull. LXIV, 253. — *loquuntur*, claris quasi vocibus denuntiant, testantur.

v. 30. *inducere*, pro induxit, vel inducere coepit; *inducere* iam est recipere, acquirere. Cic. de Orat. II. c. 28. *Qui hoc primus in nostros mores induxit.*

Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis. Postquam te fata tulerunt,
Ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
Infelix lolium et steriles nascuntur avenae.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus et spinis surgit paliurus acutis.
Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis;
Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

MENALCAS.

Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
Dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum aequiparas, sed voce magistrum:
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen haec quocunque modo tibi nostra vicissim
Dicemus Daphninque tuum tollemus ad astra;
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.

MOPSUS.

An quidquam nobis tali sit munere maius?
Et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
Iam pridem Stimicon laudavit carmina nobis.

v. 34. *postquam te fata tulerunt*, postquam te abstulit fatorum necessitas, vel postquam fata te sustulerunt e medio.

v. 35—39. Versus sequentes sunt elegantissimi. Sensus: post mortem tuam, cum una tecum ipsa dea rustica Pales et Nomius Apollo ex agris recessissent, frugum fertilitatem excepit sterilitas.

v. 37. *steriles avenae*, nos: *Flughafer*.

v. 39. *spinis paliurus acutis*, *Vossius*: *Scharfgena delter Stechdorn*.

v. 40. *Spargite humum foliis*, flores vel folia spargite. Flores sparguntur in honorem et memoriam eorum, quos pio gratoque animo veneramur. — *inducite fontibus umbras*, cingite fontes arboribus, ut ibi sub earum umbra, tanquam in amoeno sacrario, Daphnidis memoriam recolatis.

v. 45—47. *Tale tuum carmen*. versus venustissimi. Tanta, ait Me-

MENALCAS.

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
Ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet Dryadasque puellas.
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
Ipsi laetitia voces ad sidera iactant
Intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta: deus, deus ille, Menalca.
Sis bonus o felixque tuis! en quatuor aras:
Ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi,
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,

nalcas, carminis tui est dulcedo, quantam vel fessi in toro gramineo ex sopore, vel sitientes dulcis aquae haustu ex praetereunte rivo percipiunt.

v. 56—57. *Candidus insuet.* cett. Similiter divinus poeta, decus Germaniae, *Klcistius*, in Carmine *Menalk* inscripto: *Erist, dacht ich, zuerst der Nichtigkeit entbunden, Und schaut dir itzt vielleicht von oben glänzend zu, Schaut Wolken unter sich, ist glücklicher als du:* — *candidus*, splendens, splendidus, et iam divino splendore fulgens; sic *stella candida*, *luna candida*, *nox candida*, *lux candida*. vide ad Catull. LXVIII, 134.

v. 58. *alacris voluptas*, hilaritas, quae suaviter animum afficit eumque *alacrem* reddit.

v. 61. *otia*, securitatem, quietem ab omni perturbatione liberam.

v. 63. *intonsi*, frondosi, ubi florent arbores, haud foliis vel frondibus nudatae; nam frondes vel folia apud poetas dicuntur *comae*; sic de pinu, e qua structa dicitur phaselus apud Catull. IV, 10—13. *Ubi iste, post Phaselus, antea fuit Comata silva: nam Cytorio in iugo Loquente saepe sibilum edidit coma.* — *ipsae*, sponte, ut *ipsi* v. 62.

v. 65. *Sis bonus felixque tuis*, sis tuis mitis et propitius; *felix* dicitur, qui felices alios reddit vel felicitate beat, h. e. propitius. Hinc formula illa, quae votis et precibus praemitti solet: *Quod bonum felix faustumque sit.*

v. 66. *Ecce duas* (aras) *tibi, Daphni, duas altaria Phoebo*, sc. sacro et dedico, vel pono. — *ara* est formae humilioris, diis minoribus, *altaria*, altius exstructa, diis maioribus, ut hoc loco Phoebo, sacra, ubi mactabantur victimae. *Daphnidi* igitur, ut heroi, lac, oleum et vinum libari debebat.

v. 69. *Et m. in pr. hilar.* et ad

Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra,
Vina novum fundam calathis Ariusia nectar.
Cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
Saltantes Satyros imitabitur Alphesiboeus.
Haec tibi semper erunt, et quum solemnia vota
Reddemus Nymphis, et quum lustrabimus agros.
Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
Ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
Agricolae facient; damnabis tu quoque votis.

MOPSUS.

Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
Nam neque me tantum venientis sibilus austri,
Nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae
Saxosas inter decurrunt flumina valles.

MENALCAS.

Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.

exhilarandos in epulis tibi sacris multo apposito vino convivarum animos.

v. 70. *frigus*, hiems, *messis*, aestas.

v. 71. *vina Ariusia*. nascebatur vinum *Ariusium* in promontorio Ariusio in insula Chio; *novum nectar*, vinum praestantissimum dulcissimumque; *nova* dicuntur talia, qualia non facile alibi reperiuntur, ergo praestantissima quaeque; sic supr. Eclog. III, 86. *nova carmina*.

v. 71. *calathis*. — *calathus* est alias vasculorum ex viminibus contextorum genus; h. l. calicis genus.

v. 74. *semper erunt*, praestabuntur, exhibebuntur, sacra tibi manebunt. — *quum solem. vot. Redd. Nymph.* die festo Nympharum cultui sacro; *Nympharum sacelli* mentio fit supr. Eclog. III, 9. — *et quum lustrabimus agros*, sacris scilicet Ambarvalibus, quibus paulo largius vino indulgere solebant rustici; sic de festo die Ambarvalium Tibull. II, 1, 29. *Vina diem celebrent; non festa luce madere Est rubor, errantes et male ferre pedes.*

v. 80. *damnab. tu quoque votis*, tu quoque votorum nuncupatorum compotes vel reos factos, quod promiserunt, solvere iubebis, pro vulgari: tu quoque nuncupata vota rata esse iubebis.

v. 82. *venientis*, exorientis, spirare incipientis. Compara Theocr. Idyll. I, 7, 8.

v. 85. *fragili cicuta*, fistula ex fragili cicuta compacta; cf. supr. Eclog. II, 36. et Theocr. VII, 43.

Haec nos, Formosum Corydon ardebat Alexin,
Haec eadem docuit, Cuium pecus? an Meliboei?

MOPSUS.

At tu sume pedum, quod, me quum saepe rogaret,
Non tulit Antigenes, et erat tum dignus amari,
Formosum paribus nodis atque aere, Menalca.

ECLOGA VI.

V A R U S.

Prima Syracosio dignata est ludere versu
Nostra nec erubuit silvas habitare Thalia.

v. 86—87. *Formosum Corydon*, et *Cuium pecus?* quasi sub Menalcae persona ipse Virgilius lateat; nam hoc et sequente versu decantata a se carmina (Eclog. II. et III.) non sine causa in memoriam revocat.

v. 88. *At tu sume pedum*, cf. Theocr. VII, 43, 44.

v. 90. *paribus nodis.* fuit hoc pedum *nodosum*, sed ita, ut pari intervallo nodi pulchre se invicem exciperent. — *aere*, quo tam munitum quam affabre exornatum fuit pedum.

ECLOGA VI.

Hanc Eclogam scripsit Virgilius in laudem *Vari*, viri et fortis et docti et philosophi, arctiore amicitiae vinculo cum Virgilio coniuncti. Quemadmodum igitur carmen praecedens, quo Daphnidis laudes celebravit poeta, inscriptum est *Daphnis*, ita hoc quoque inscribi debet *Varus*, non *Silenus*, quem poeta in partes tantum huius fingendi carminis vocavit. Idonea igitur ex causa, puto, pro *Silenus* ego huic carmini nomen *Vari* praefixi. Fuerunt sane apud Romanos plures *Vari*, qui facile confundi potuerunt, et vere saepius inter se confusi sunt; sed hic noster *Varus* videtur esse idem, quocum Horatius quoque, ut docet Od. I, 18., familiariter vixit. Legenda omnino, quae in singulari *Excursu* II. ad *Bucolica* disputavit *Heynius*. — Ex mea sententia sufficit scire *Varum*, immortalitati a Virgilio in hoc carmine commendatum, virum fuisse tam exquisita doctrina quam virtutibus vel maxime conspicuum.

Iam dixi Virgilium in partes tantum huius carminis panegyrici vocasse *Silenum*. — *Silenus*, Bacchi custos famulusque (ut vocatur ab Horatio in Epist. ad Pis. 239.), qui asino imprimis vehi solebat, saepius ob largum vini potum somno succubuit, et sic a servis Mi-

Quum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
Vellit et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque super tibi erunt, qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella)
Agrestem tenui meditabor arundine Musam.
Non iniussa cano. Si quis tamen haec quoque, si quis
Captus amore legat: te nostrae, Vare, myricae,

dae captus et deductus est ad dominum, quem deinde philosophice cum eo disputasse tradunt. Cicero Tusc. Quaest. I, 48. *Affertur etiam de Sileno fabella quaedam, qui, cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur: docuisse regem, non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quam primum mori.* Quid mirum igitur, si duo Satyri et Nympha Aegle Silenum, ut apprime doctum et sapientem, eo in hoc carmine adegisse dicuntur, ut plures fabulas promiscue caneret et enarraret? Hoc ipsum autem ad elegantiam et suavitatem huic carmini parandam vel maxime conferre debuit.

v. 1—12. *Prima Syracosio* cett. Observet et expendat lector insignem artem et elegantiam, qua expressit poeta vulgarem sententiam hanc: Equidem non infra dignitatem meam positum esse putabam, si ego ad Theocriti exemplum canerem carmina rustica sive bucolica, nec me puduit huius tenuiorum carminum generis; at cum ego canere auderem carmina altiora, scilicet epica vel heroica, Apollo ab hac temeritate me revocavit, dum me humiliorum carminum poetam iussit abstinere ab altioribus et sublimioribus. Itaque (nec deerunt poetae, qui res a te praeclare gestas celebrent carminibus epicis) carmine tenui, bucolico nempe, ut Apollo me facere iussit, laudes tuas canam, quod quidem si nactum fuerit lectores, nomen tuum in omnibus nemoribus resonabit; et hoc erit Apollini longe gratissimum. — *Syracosio versu*, Theocriteo, cf. Ecl. IV, 1.

v. 2. *nostra Thalia*, pro quavis Musa, quae poetae divinitus adspirat, vel pro carminum scribendorum amore et studio.

v. 3. *canerem*, canere vellem.

v. 4. *aurem vellere* vel *vellicare* exprimit σχῆμα paulo gravius vel fortius monentis aliquem de re aliqua. Similiter apud Horatium Od. IV, 15, 2. *increpare*: *Phoebus volentem proelia me loqui Victas et urbes increpuit lyra.*

v. 5. *deductum carmen*, carmen tenue, translatum a tenui filo, quod e lana deducitur. Hor. Epist. II, 1, 225. *tenui deducta poemata filo.*

v. 7. *condere bella*, enarrare, ut *condere historiam*; et sic Horatius *carmina condere* in aliquem Sat. II, 1, 82. 84. Epist. I, 3, 24. Epist. ad Pis. 436.

v. 8. *agrestem Musam*, carmen pastoritium, ut supr. Eclog. I, 2. *Silvestris Musa.*

Te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ulla est,
Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen.
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylos in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho;
Serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
Adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo
Luserat) iniiciunt ipsis ex vincula sertis.
Addit se sociam timidisque supervenit Aegle,
Aegle Naiadum pulcherrima, iamque videnti
Sanguineis frontem moris et tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit,
Solvite me, pueri; satis est potuisse videri.
Carmina, quae vultis, cognoscite; carmina vobis,
Huic aliud mercedis erit; simul incipit ipse.
Tum vero in numerum Faunosque ferasque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus,

v. 13. *Chromis et Mnasylos*, sine dubio Satyri. — *Heynius*, *Vir Summus*, narrat in notis ad h. l. *inventum esse in finibus Neapolitanis anaglyphum*, *Silenum in antro sedentem una cum Nympha, frondem seu surculum ostentante, et duobus pueris Satyris, auscultantium similibus, exhibens. Pone antrum Sileni asellum cum duobus Satyris saltantibus ibidem conspici.*

v. 16. *Serta procul*, *tantum capiti delapsa*. persto in sententia, quam olim in *Prolusione* (de qua vide supra ad Eclog. I, 54.) proposui; vox scilicet *tantum* non ad *procul*, sed ad *delapsa* referenda videtur; *serta* delapsa *tantummodo* erant, non disturbata, non lacerata, non discissa a temulento Sileno, sed adhuc integra; *procul*, non longe a Sileno remota, in propinquo, nos: *in einiger Entfernung*; sic apud Horatium Sat. II, 6, 105. *canistrum* non ita procul a conclavi, ubi coenabatur, exstructum, dicitur *procul exstructum* h. e. in propinquo; et Virgil. Aen. X, 835. *procul aerea ramis Dependet galea.*

v. 17. *cantharus*, genus poculi ansis instructi. — *gravis*, ob pondus grandioris poculi; nos: *eine Humpe.*

v. 24. *potuisse*, sc. vos me vincire vinctoque mihi imperare.

v. 26. *aliud mercedis*. proterve minatur Silenus rem libidinosam.

v. 27. *in numerum*, ad certos modos et ictus in arte musica, nos: *nach dem Takte.* — *ludere* saepe (ut *παίζειν* apud Graecos) pro: saltare.

v. 28. *motare cacum. quercus.*

Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
Nec tantum Rhodope mirantur et Ismarus Orphea.
Namque canebat, uti magnum per inane coacta
Semina terrarumque animaeque marisque fuissent
Et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
Omnia et ipse tener mundi concreverit orbis;
Tum durare solum et discludere Nerea ponto
Coeperit, et rerum paullatim sumere formas;
Iamque novum terrae stupeant lucescere solem,
Altius atque cadant summotis nubibus imbres,
Incipiant silvae quum primum surgere, quumque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
Caucasiasque refert volucres furtumque Promethei.

tam pulchre igitur cecinit Silenus, ut eius cantu, sicut Orphei cantu, quercus adeo suaviter affectae cacumina motarent. Hinc apud Horat. Od. I, 12, 11. *quercus auritae* vocantur.

v. 30. *Rhodope* et *Ismarus* montes in Thracia, ubi res suas egit Orpheus.

v. 31. *Namque canebat, uti* cett. cecinit primum Silenus de mundi et omnium rerum origine secundum Epicuri disciplinam.

v. 35. *durare solum*, duriticm trahere, durum fieri. Ceterum hoc exordium, ut observat *Ursinus*, adumbratum est ex Apollonii Argonaut. I, 496 seqq.

v. 36. *rerum sumere formas*, eas, in quas res redactae essent, formas induere.

v. 37. *stupeant*, pro: stupuerint.

v. 38. *cadant*, pro: ceciderint.

v. 39. *Incipiant quum*, quum inciperent.

v. 40. *errent*, pro: errarent.

v. 41. *lapides Pyrrhae iactos*. Pyrrha, uxor Deucalionis; cum grave diluvium praeter Deucalionem et Pyrrham absumsisset omnes alios homines, Pyrrha et Deucalion, cum in monte Parnasso de reparando hominum genere oraculum Themidis consuluissent, oraculi responso *magnae matris ossa* (lapides scilicet) trans se iacere iussi sunt; tum e iactis a Deucalione lapidibus *mares* et e lapidibus a Pyrrha iactis *feminas* natas esse finxerunt. — *Saturnia regna*, auream aetatem, cf. Eclog. IV. Ad *Saturnia regna* supple: porro canebat, ut statim *que, que*, pro: porro.

v. 42. *Caucas. ref. vol. f. Prom.* narrat porro Silenus, quomodo Deucalionis pater, Prometheus, ob furtum ignis e coelo in terras delati et ob alia hominibus a se facta suppeditata affixus sit scopulo in *Caucaso* (Asiae monte notissimo), ut eius iecur pastum ibi praeberet aquilis et vulturibus.

His adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
Clamassent, ut litus, Hyla, Hyla, omne sonaret;
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaën nivei solatur amore iuvenci.
Ah, virgo infelix, quae te dementia cepit!
Proetides implerunt falsis mugitibus agros;
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus, quamvis collo timuisset aratrum,
Et saepe in levi quaesisset cornua fronte.
Ah, virgo infelix, tu nunc in montibus erras;
Ille, latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas,
Aut aliquam in magno sequitur grege. Claudite, Nymphae,
Dictaeae Nymphae, nemorum iam claudite saltus,
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia; forsitan illum,

v. 43. *quo fonte*, ad quem aquae hauriendae vel bibendae causa secessisset Hylas. — *Hylas*, puer adhuc, Herculis deliciae et eius comes, cum abductus vel seiunctus forte esset a comitatu, ubique clamando eius nomen quaesitus est. Fabulam *Hylae* eleganter tractavit Valerius Flaccus in Argonauticis III, 481—614. Ceterum in vocalibus producendis, corripiendis et absorbendis Graecorum passim exemplum secutus est Virgilius: *Hylă Hylă omne sonaret.*

v. 46. *Pasiphaën*, filiam Solis et Minois, regis Cretensis, uxorem, quae, insano tauri alicuius amore incensa, cum ad libidinem cum tauro exercendam latuisset in vacca lignea, Daedali arte efficta, Minotaurum peperisse fingitur. — *Pasiphaën nivei solatur amore iuvenci*, versus elegantissimus; in *solatur* latet dulce levamen et *solatium*, quo reficitur et recreatur aeger animus.

v. 47. *virgo infelix.* Pasiphae iam Minoi nupta dicitur *virgo*, non in sensu proprio, sed in iuvenili aetate adhuc constituta, ut apud Horatium Od. III, 14, 10—11. *puellae, iam virum expertae.*

v. 48. *Proetides*, Proeti, regis Argivorum et Antiae vel Sthenoboeae filiae, cum se tam pulchras esse opinarentur, ut haud cederent Iunonis pulchritudini, ad hanc superbiam ulciscendam Iuno vaccarum naturam iis indidisse dicitur.

v. 50. *Concubitus*, accommodate ad virginum, non ad vaccarum naturam et libidinis genus.

v. 54. *pallent. pallens* propius ad colorem lividum accedens; sic supr. Ecl. II, 47. *pallentes violae.*

v. 56. *Dictaeae*, a *Dicte*, monte Cretae. — *nemorum saltus*, pascua.

Aut herba captum viridi aut armenta secutum,
Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.
Tum canit Hesperidum miratam mala puellam;
Tum Phaëthontiadas musco circumdat amarae
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
Aonas in montes ut duxerit una sororum,
Utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
Ut Linus haec illi, divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit: Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.

v. 60. *stabula ad Gortynia*, Cretensia, ubi opima fuerunt pascua, et ubi custodiebantur atque alebantur pecudes; *Gortyna*, urbs Cretae.

v. 61. *Tum canit* cett. Tum canit *Atalantam*, Schoenei, regis in Scyro, filiam, quae, cum professa esset se non alii, nisi a quo in currendi certamine superata esset, nupturam esse, tandem ab Hippomene, obiecto inter currendum ex trium Hesperidum horto malo aureo, victa est.

v. 62—63. *Tum Phaëthontiadas* cett. Insigni arte descripta est sors, quam expertae sint Phaethontis sorores, ob ingentem luctum de fratris obitu in alnos (vulgo larices) mutatae.

v. 64—74. Tum mollibus versibus Silenus celebrat dulcissimam poetam *Gallum* eique tantam dignitatem conciliat, ut, qui illum cum una Musarum incedentem consniciunt, sacro quodam horrore perfundantur. — De poeta *Gallo* cf. infr. *Argum.* ad Eclog. X. — *Permessus*, fluvius e fonte Heliconis in Boeotia decurrens.

v. 65. *Aonas in montes*, Heliconem et Cithaeronem, montes Boeotiae, quae antiquitus *Aonia* dicta est.

v. 66. *Utque viro Phoebi chorus* cett. iam antiquissimis temporibus viguit hic mos, ut inferiores e sede sua surgentes verecundiam suam et honorem testificarentur superioribus; cf. Hom. Iliad. I, 533 seqq.

v. 67. *Linus*, cf. supr. Eclog. IV, 56. — *divino carmine* sc. excellens, vel pro: divini carminis.

v. 70. *Ascraeo seni*, Hesiodo, e vico Boeotiae, *Ascra*, oriundo.

v. 71. *deducere montibus ornos*, sicut Orpheus.

v. 72—73. *Grynei nemoris. Grynium* vel *Grynia*, oppidum Aeolidis in Asia minore, fano et oraculo Apollinis celebre. vid. quos lau-

Quid loquar, ut Scyllam Nisi aut quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis;
Aut ut mutatos Terei narraverit artus,
Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
Quo cursu deserta petiverit, et quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus
Audiit Eurotas iussitque ediscere lauros,
Ille canit; pulsae referunt ad sidera valles;
Cogere donec oves stabulis numerumque referre
Iussit, et invito processit Vesper Olympo.

dat *Heynius*. Videtur autem Gallus tam oppidum quam Apollinis oraculum celebrasse carmine tum satis note. — *lucus*, ubi colebatur Apollo.

v. 74. *aut quam fama secuta est*. particulam *aut* ante *quam*, extrusam a *Nic. Heinsio*, ego revocavi; res ipsa enim flagitat hanc particulam. Fuerunt enim duae Scyllae, altera Nisi, altera Phorci filia, vid. Hygini Fab. 198. et 199. Referenda scilicet omnino est *quam* ad alteram Scyllam, Phorci filiam; ad hanc spectant sequentia *Candida succinctam* cett. — *Scylla*, filia Nisi, regis Megarensium, quae, cum resectis patris crinibus fatalibus patriam Minoi, regi Cretensium, prodidisset, in avem ciri mutata perhibetur, v. Ovid. Met. VIII, 17 et 150 seqq. *Scylla*, Phorci filia, ob amorem, quo a Glauco illa amabatur, a Circe ex invidia ab inferiore corporis parte (*inguinibus*) in rictus caninos transformata esse fingitur, et postea in scopulum nautis periculosissimum.

v. 78—81. *Aut ut mutatos* cett. fabulam de *Tereo*, rege Thraciae, et *Procne* vel *Progne*, Pandionis, regis Athenarum, filia, cum eius sorore Philomela, legant imprimis iuvenes apud Ovid. Met. VI, 424 seqq. Me certe iuvenem huius fabulae lectio apud Ovidium tanta suavitate permulsit, ut ego eam praeferrem omnibus aliis. — Uti omnes paene fabulae a poetis diverso modo narrantur, ita in hac fabula apud Ovidium *Philomela* in luscinium et *Progne* in hirundinem mutatur, apud alios poetas *Progne* in luscinium et *Philomela* in hirundinem.

v. 82—84. *Omnia, quae* cett. Observetur orationis elegantia, pro vulgari: Silenus canit omnia Apollinis carmina, quae Eurotae (Laconiae fluvio, in Arcadia orto) audire contigerunt (*beatus*), et quidem tam saepe, ut laureta paene ea ediscerent.

v. 86. *invito*, suaviter pro: Sileni carmina audiendi cupiditate nondum exsatiato.

ECLOGA VII.

MELIBOEUS.

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

MELIBOEUS.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas,
Ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
Et cantare pares et respondere parati.
Huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
Vir gregis ipse caper deerraverat. Atque ego Daphnin
Adspicio; ille ubi me contra videt: Ocius, inquit,
Huc ades, o Meliboee; caper tibi salvus et haedi;
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.
Huc ipsi potum venient per prata iuvenci;
Hic virides tenera praetexit arundine ripas

ECLOGA VII.

Locus amoenissimus ad ripas Mincii, fluvii in Gallia Cisalpina, cuius ripas tenera arundo praetexebat, in propinquo vero querceta resonabant apum examinibus, pastores ad requiescendum et ad canendum invitare solebat. Narrat igitur Meliboeus se, dum anfugientem caprum persequendo preserit, incidisse in Daphnidem, a quo ad audiendum carmen amoebaeum, a Corydone et Thyrside quaternis versibus decantatum, advocatus sit. Victor evasit Corydon. — Virgilius imitatus est Theocr. Idyll. VI.

v. 1. *arguta*, uti aves, nominatim *olores* (Eclog. IX, 36.), ob dulcissimum eorum cantum, *arguti*, ita *nemus*, *arbores* ob suavissimum foliorum agitatorum sonitum dicuntur *argutae*, et sic *arguta fistula* infr. v. 24.

v. 2. *Compulerantque in unum*. Theocr. Id. VI, 1. *εἰς ἕνα χῶρον — συνάγαγον*.

v. 4. *Arcades*, cantu, sicut Arcades, excellentes.

v. 6. *defendo a frigore*, eleganter pro vulgari: myrtos contra frigus munio, a frigore tutas praesto; nos dicere solemus: *Bäume einbinden*.

v. 7. *atque* pro: iam vero, vel statim; exempla vid. apud *Forcellin.*

v. 8. *Adspicio*, pro: conspicio; *contra*, e regione.

Mincius, eque sacra resonant examina quercu.
Quid facerem? neque ego Alcippen nec Phyllida habebam,
Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos;
Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Coepere. Alternos Musae meminisse volebant.
Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.

CORYDON.

Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, concedite; proxima Phoebi
Versibus ille facit; aut, si non possumus omnes,
Hic arguta sacra pendebit fistula pinu.

THYRSIS.

Pastores, hedera crescentem ornate poëtam,
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;

v. 13. *sacra*, sc. Iovi.

v. 14. *Quid facerem?* locutio de iis, qui ancipites haerent, quid faciant, vel inopes sunt consilii.

v. 16. *Corydon cum Thyrside*, Corydon scilicet certabat cum Thyrside; — nomina simpliciter cum admiratione pronuntur, nos: *man denke, ein Corydon und ein Thyrsis hielten diesen Wettgesang.*

v. 19. *alternos Musae meminisse volebant.* hunc versum et *Heynius* et alii post *Heynium* indignum iudicarunt Virgilio; equidem illum explico sic: Musis placebat, ut Corydon et Thyrsis versus alternos (*meminissent*) in medium proferrent sive canerent; innuitur igitur hoc versu favor, quo adspirent Musae canentibus.

v. 21. *Libethrides*, a fonte Libethro in Helicone; vid. Strabo IX. p. 629. Musas iam vocat *Nymphas.*

v. 22. *proxima*, sc. carmina, quae proxime accedant Phoebi versibus. Infr. Idyll. IX, 35. *nec dicere Cinna Digna*, sc. carmina, quae digna sint Cinna.

v. 23. *si non possumus omnes*, sc. versus facere, quales facit *Phoebus.*

v. 24. *pinu sacra*, nempe Pani.

v. 25. *hedera ornate.* poetae scilicet ob semper florentem eorum gloriam coronam ex hedera, semper virente, nexam gestant. — *crescentem poetam* eleganter pro: me.

v. 26. *Arcades*, arte canendi insignes et conspicui; cf. supr. v. 4. — *invidia rumpantur ut ilia Codro.* Thyrsis tam pulchre se cantaturum esse opinatur, ut Codrus adeo, qui modo ut poeta, cum Phoebo aequandus, laudatus est, invidia conflagraturus sit. — Graviores animi affectiones, ira, invidia cett.

Aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

CORYDON.

Setosi caput hoc apri tibi, Delia, parvus
Et ramosa Micon vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.

THYRSIS.

Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis
Exspectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu,
Si fetura gregem suppleverit, aureus esto.

CORYDON.

Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
Candidior cycnis, hedera formosior alba,
Quum primum pasti repetent praesepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.

pectus vel viscera *rumpere* dicuntur; hinc, qui apud nos furore aliquo rapiuntur, dicere solent: *ich möchte vor Aerger bersten* oder *platzen*.

v. 27. *ultra placitum*, pro vulgari: ultra modum; *nimia laus* erat genus quoddam fascini, cui pellendo adhiberi solebat *baccar*; cf. ad Eclog. IV, 19.

v. 28. *mala lingua*, nimiae laudis malitia, fascinum.

v. 29—34. *Setosi caput hoc* cett. ad *hoc caput* supple: dicat, sacrat. Sequuntur formulae, quibus solemni more diis offeruntur munera. Nomen pastoris *Micon* est nomen fictum.

v. 30. *vivacis*, refer vel ad *cervorum* vitae diuturnitatem, vel ad cervorum agilitatem et velocitatem; certe apud Gellium et *vivacissimus cursus*, et *vivacissima pernicitas* dicitur. — Sensus et nexus totius loci: Parvus Micon nil tibi, Diana, dicat, nisi caput apri et cervi cornua; at ego, si hoc aeternum vel perpetuum in remotissima tempora duraverit, te totam, Diana, ex marmore cum purpureo cothurno effingendam et exstruendam curabo. — *proprium*, quod peculiare, perenne et perpetuum est, quod non potest alicui eripi. Cic. pro Leg. Manil. c. 16. *Quod ut illi proprium sit atque perpetuum, optare debetis.*

v. 35. *pro tempore*, pro praesentis temporis vel sortis ratione et modulo.

v. 37. *Nerine Galatea.* blandiendi causa amicam vocat *Nerinen Galateam*, Nympham, Nerei et Doridis filiam.

v. 39. *Quum primum pasti* cett.

THYRSIS.

Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, proiecta vilior alga,
Si mihi non haec lux toto iam longior anno est.
Ite domum pasti, si quis pudor, ite iuvenci.

CORYDON.

Muscosi fontes et somno mollior herba,
Et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,
Solstitium pecori defendite; iam venit aestas
Torrida, iam laeto turgent in palmite gemmae.

THYRSIS.

Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis
Semper, et assidua postes fuligine nigri.
Hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

CORYDON.

Stant et iuniperi et castaneae hirsutae;

aptissima ex pastoris ore vespertini temporis descriptio; nos: *gegen Abend.*

v. 41. *Sard. herb. herbae Sardoae* ita vocantur, quia nascuntur in Sardinia (*eine Art Ranunkel oder Hahnenfuſs*); os illae herbae, cum ei admoventur, et contrahunt et distrahunt. — *ruscus*, nos: *Mausdorn.*

v. 42. *proiecta vilior alga.* Horat. Sat. II, 5, 8. *Et genus et virtus, nisi cum re, vilior alga est;* nam *alga*, ut res vilissima et contemtissima, calcatur pedibus.

v. 45. *Muscosi fontes.* suavis rusticae amoenitatis imago; Horat. Epist. I, 10, 6, 7. *ego laudo ruris amoeni Rivos et muscо circumlita saxa nemusque.* — *somno mollior herba.* equidem somno in casu tertio accipio; somnus dormienti in tono gramineo est mollior et dulcior. Ceterum hic locus conferendus omnino est cum Theocriti Veneribus (Idyll. VIII, 33 seqq.), quas cupide sectatus est Virgilius.

v. 46. *tegit umbra*, pro vulgari: obumbrat. — *rara*, ut *pectes rarus*, ubi vacua intervalla paulo latius distant. — *arbutus*, cf. supr. Eclog. III, 82.

v. 47. *Solstitium pecori defendite*, pro vulgari: defendite pecus a solstitio, h. e. avertite a pecore solita calorem tempore solstitii; scilicet *defendere alicui aliquid* iam est: avertere aliquid ab aliquo; simillime Horat. Od. I, 17, 8. *Faunus igneam defendit aestatem capellis*, pro: capellas contra igneam aestatem.

v. 52. *torrentia flumina*, quae rapido et concitato cursu volvuntur.

Strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma;
Omnia nunc rident: at si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas et flumina sicca.

THYRSIS.

Aret ager; vitio moriens sitit aëris herba;
Liber pampineas invidit collibus umbras:
Phyllidis adventu nostrae nemus omne virebit,
Iupiter et laeto descendet plurimus imbri.

CORYDON.

Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo:
Phyllis amat corulos; illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corulos, nec laurea Phoebi.

THYRSIS.

Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Saepius at si me, Lycida formose, revisas,
Fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.

MELIBOEUS.

Haec memini, et victum frustra contendere Thyrsin.
Ex illo Corydon Corydon est tempore nobis.

v. 54. *sua quaeque sub arbore poma.* hic locus, quomodocunque eum extricare studueris, est et manet obscurus vel corruptus. *Heynius* pro *quaeque* recepit *quaque.* Equidem pro *quaeque* legendum esse suspicor: *sua cuique sub arbore poma*, quae passim sub arbore strata iacent, sunt sua cuique arbori, ut nata a se, propria. Virgil. Aen. X, 467. *Stat sua cuique dies*, dies fatalis cuique, ut sua sibi destinata dies, imminet.

v. 58. *Liber pampineas* cett. versus venustissimus! Bacchus, pluvias cohibens a vineis, exarescere sinit pampinos.

v. 60. *Iupiter et laeto* cett. et largiter e coelo demissa pluvia sitientes agros recreabit.

v. 70. *nobis*, supplendum est omnino aliquid, vel: carissimus, vel: canendi laude nobilissimus et celebratissimus. Sed hoc est durum et insolitum; fortasse pro *nobis* legendum est *notus*, dum laus eius in omnium ore versabatur, dum ille ut pastor laude canendi insignis celebrabatur. Horat. Od. II, 2, 6. *Proculeius notus* (nobilis) *in fratres animi paterni.* Virg. Aen. I, 383. *fama super aethera notus.* Horat. Epist. I, 6, 25. *bene notus* de viro summis honoribus exsplendescente.

ECLOGA VIII.

POLLIO.

DAMON. ALPHESIBOEUS.

Pastorum Musam Damonis et Alphesiboei,
Immemor herbarum quos est mirata iuvenca
Certantes, quorum stupefactae carmine lynces,
Et mutata suos requierunt flumina cursus,
Damonis Musam dicemus et Alphesiboei. 5

ECLOGA VIII.

Virgilius, postquam duo Theocriti Carmina (Idyll. III. et Idyll. II.) imitatione expresserat, duos pastores, Damonem et Alphesiboeum, qui expressa decantarent, produxit et, quasi eorum auscultator praesto adfuisset, illa in hac Ecloga retulit. Damon igitur de Nisae perfidia iram et dolorem sese exulcerantem evomit; Alphesiboeus vero, quomodo venefica aliqua Daphnin, alias puellas sectantem, incantationibus ad se revocaverit, enarrat. Sed cum ea, quae exstant praefixa Eclogis Virgilii, profecta fere sint a grammaticis, ea sine religione aut immutari aut plane tolli posse existimo. Quemadmodum igitur Eclogae VI. pro *Silenus* praefixi *Varus* (vide ibi *Argum.*), ita in apice huius Eclogae pro *Pharmaceutria* posui nomen *Pollionis*; nam is fuit *Vir ille magnus* (vid. supr. ad Eclog. III. v. 84.) et, qui ab Horatio carminibus celebraretur, diguissimus. Hinc poeta in hac Ecloga 11—13. *A te principium, tibi desinet; accipe iussis Carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum Inter victrices hederam tibi serpere lauros.* Solemni igitur quasi more Virgilius hoc carmen Pollioni dedicat.

v. 1. *Musam*, carmina, quae uterque pastor, Damon et Alphisiboeus, Musae suae favore et praesidio adiuti, cecinerant.

v. 2. *immemor herbarum.* iuvenca pastorum cantu tam suaviter affecta fuit, ut non amplius de pabulo cogitaret; scilicet vel repentinus terror, vel immensa, qua abripimur, voluptas tantam saepe vim habet, ut omnium aliarum rerum sensus torpeat. Apud Horatium Od. I, 15, 30. cervus, subito lupi conspectu perculsus, dicitur simillime *immemor graminis.*

v. 4. *Et mut. s. requ. flum. cursus.* docte et eleganter expressit poeta vulgarem sententiam hanc: et flumina currere et provolvi desierunt, vel cessarunt fluere, h. e. constiterunt. — *flumina mutata.* mutantur flumina, cum eorum cursus mutatur; *suos cursus requierunt*, cursus suos a currendi labore requiescere iusserunt, cursus suos interruperunt. Pastorum igitur nostrorum carmina vim ha-

Tu mihi seu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris; en erit unquam
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?
A te principium; tibi desinet. Accipe jussis
Carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.
Frigida vix coelo noctis decesserat umbra,
Quum ros in tenera pecori gratissimus herba;
Incumbens tereti Damon sic coepit olivae:

DAMON.

Nascere praeque diem veniens age, Lucifer, almum,

buere, qualem Orphei carmina habuisse dicuntur.

v. 6. *Tu mihi* cett. iam alloquitur poeta Pollionem, non praeter exspectationem vel obscure, sed satis aperte, si eius nomen in huius Eclogae fronte apparet. — *mihi*, ut *tibi*, *nobis*, *vobis*, passim in oratione vel familiari, vel iocosa, vel satyrica, pro linguae ingenio abundat. Horat. Epist. I, 3, 15: *Quid mihi Celsus agit*, ubi vid. *not.* et ad Catull. XXIV, 4. — *superare* pro *transvehi* passim apud Livium, uti *orum legere*. — *Timavus*, ut observat *Heynius*, „*in ora Adriae, non longe ab Aquileia fluvius ex terra novem fontibus seu capitibus progressus, brevi cursu in unum alveum collectus, lato altoque flumine in mare exit* (vid. *Heyn.* in *Excurs.* VII. ad Aen. I, 244.). *Cum Pollio exercitum illo tempore in Parthinos duceret, et quidem pedestri itinere, adhuc ille aut in Istria haesisse, aut alterius progressus esse videtur. Si prius illud, montes erant superandi, in quibus Timavi fontes sunt.*" Cf. imprimis ad h. l. Cl. *Wagner*, et quos ille laudat.

v. 10. *Sola Sophocleo t. c. dign. coth.*, carmina tua tragica, Sophoclis sublimitatem spirantia.

v. 12. *tibi. temp. circ.* cett. hāc, ut gemina corona, tam laurea, quam hederacea, tempora tua ornet; *laurus* Apollini, *hedera* Baccho sacra, qui pariter atque Apollo poëtis favet. Eclog. VII, 25. *Pastores, hedera crescentem ornate poëtam.* — Per *lauros victrices* intellige coronam triumphalem. Respexit poëta Pollionis triumphum de Parthinis U. C. 715.

v. 15. *Quum ros in tenera* cett. elegantissima vocis *mane* amplificatio.

v. 16. *Incumbens tereti* cett. en! σχῆμα pastoris, carmen meditantis et ad hoc canendum, dum pedo innititur, sese componentis. — *tereti olivae*, pedo ex oliva confecto, oblongo et (*tereti*) modica crassitudine.

v. 17. *age diem*, diem adduc,

Coniugis indigno Nisae deceptus amore
Dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentes
Semper habet; semper pastorum ille audit amores,
Panaque, qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?
Iungentur iam gryphes equis, aevoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damae.
Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor.
Sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
O digno coniuncta viro! dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellae

diem oriri sine. Horat. Od. III, 6, 44. *sol ubi montium Mutaret umbras, et iuga demeret Bobus fatigatis, amicum Tempus agens abeunte curru.* — *praeque diem veniens*, et diem, ut eius praeco, denuntians.

v. 21. *Incipe* cett. versus intercalaris; *versus Maenalii*, quales canuntur a pastoribus in Maenalo, monte Arcadiae.

v. 22. *argutum nemus*, cf. ad Eclog. VII, 1.

v. 24. *inertes*, eleganter pro: mutos.

v. 28. *ad pocula*, eo, quo canes et damae una et coniunctim potent.

v. 29—30. *Mopse, novas incide faces* cett. Damon ludit et deridendum propinat Mopsum, dum eum, quasi iam dies illuxisset, quo Mopsus cum Nisa nuptias celebraret, omnia die nuptiali sponso praestanda praestare iubet. Huc pertinebat *mos faces* ex pineo vel alio ligno *incidendi*, quae sub Hesperi ortu praeferrentur pompae nuptiali, sponsam in domum novi mariti ducenti; tum mos *nuces spargendi*, quem sponsus, ut significaret se nunc puerilia deposuisse, exsequi solebat. — *tibi deserit Hesperus Oetam*, iam oritur Hesperus; *Oeta* mons Graeciae sive limes Thessaliae australis, cuius iugum ab oriente ad occidentem porrigitur. Fortasse igitur, ut recte iudicat *Heynius*, in regione monti Oetae subiecta vixisse videtur poeta quidam Graecus, qui ad vulgi sermonem: *Luna vel Hesperus in Oetae iugo oritur*, sese accommodaret et id ad imitatores de hac re securos propagaret.

v. 32. *digno*, in vita communi saepius aliquem, quem contemnimus et odimus, ironice dicimus *dignum*.

Hirsutumque supercilium promissaque barba;
Nec curare deûm credis mortalia quemquam.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
Alter ab undecimo tum me iam ceperat annus;
Iam fragiles poteram a terra contingere ramos.
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor; duris in cotibus illum
Aut Tmaros, aut Rhodope, aut extremi Garamantes
Nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt.
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevus Amor docuit gnatorum sanguine matrem
Commaculare manus. Crudelis tu quoque, mater.
Crudelis mater magis, an puer improbus ille?
Improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater.

v. 34. *hirsutum supercilium.* facies, quae ostendit supercilium hispidum, horridum, asperum et austerum, displicet.

v. 35. *Nec cur. deûm cr.* respexisse videtur Damon laesam per deos datam fidem.

v. 37. *Sepibus in nostris*, pro: hortis, quos cingunt munimuntque sepes. — *roscida mala*, rore tempore imprimis matutino conspersa; confer cum hoc loco Theocr. Idyll. XI, 25 seqq.

v. 39. *ceperat*, occupaverat, attigerat.

v. 41. *Ut vidi*, simulac oculis meis tu es oblata, *ut perii*, ut statim te perdite amare coepi, *ut me malus abstulit error*, ut statim in malam fraudem me rapi passus sum; vel: quam perculsus pectore ego in te conieci oculos, quanto furore te amare coepi, in quantam fraudem ego me induci passus sum! Theocr. Idyll. II, 82. Χὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, ὥς μευ περὶ θυμὸς ἰάφθη. et Idyll. III, 42. Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἄλλετ' ἔρωτα.

v. 43. *illum*, tam *saevum*, ut *Amor* v. 47. dicitur.

v. 44. *Tmaros*, mons Epiri; *Rhodope*, notus mons Thraciae; *Garamantes*, remotissimi et interioris Libyae populi.

v. 45. *edunt*, supple: ut videtur, vel pro: edidisse videntur.

v. 47 — 50. *Saevus Amor docuit* cett. Damonis oratio, dum ille memoriam rei crudelissimae refricat, est perplexa fere et putide, ut videtur, abundans. Sed hoc ipsum respondet hominum ingenio, qui in graviore animi commotione eandem rem geminare, repetere et permiscere solent. Itaque, quod alii in hoc loco impro-

Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc et oves ultro fugiat lupus; aurea durae
Mala ferant quercus; narcisso floreat alnus;
Pinguia corticibus sudent electra myricae;
Certent et cycnis ululae; sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion,
Incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiant mare. Vivite silvae!
Praeceps aërii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.
Desine, Maenalios iam desine, tibia, versus.
Haec Daphnis: vos, quae responderit Alphesiboeus,
Dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

ALPHESIBOEUS.

Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta,
Verbenasque adole pingues et mascula tura,
Coniugis ut magicis sanos avertere sacris

haverunt, id mihi probandum videtur. — *improbus*, improbitatis et rerum scelestarum auctor.

v. 54. *electr.* *electrum*, genus quoddam gummi, quod arbores quaedam exsudant, Latine: *succinum;* copiose de eo Plin. H. N. XXXVII, 2 seqq.

v. 55. *Certent et cycnis ulul.* intellige *cycnos canoros*, qui in terris remotis, e. c. in Islandia, et visuntur et *canentes* audiuntur; *cycni*, qui in nostris terris propagantur, sunt *cycni muti*. — *certare alicui*, ut supr. Ecl. V, 8.

v. 56. *Arion.* de *Arione*, citharoedo nobilissimo, quem ab avidis nautis in mare deiectum delphinus ob divinum ab eo auditum cantum servasse traditur, res nota.

v. 62. *Haec Daphnis* seqq. Alphesiboeus, Daphnidi responsurus, quasi impar sit carmini de Daphnide, per sacra magica accito, canendo, modeste Musas (*non omnia possumus omnes*) in partes vocat, et tum, qui se canentem audiant, in mediam rem rapit. Adest venefica, quae administrat suam Amaryllidem omnia, quae sacra postulant, afferre et apparare iubet.

v. 64. *molli*, mollia enim, h. e. laxa sunt, e quibus vitta consuitur.

v. 65. *verb.* — *verbena* primum herba, quae rei sacrae adhibenda e sacro et separato Capitolii loco petebatur; deinde quaevis herba rei cuidam rite instituendae sacrata. — *pingues*, refer ad verbenarum bonitatem, integritatem et pinguedinem. — *mascula*, praestantiora, efficaciora.

v. 66. *avertere sensus*, expellere, exturbare, eripere et proinde cor-

Experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina vel coelo possunt deducere Lunam;
Carminibus Circe socios mutavit Ulixi;
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Terna tibi haec primum triplici diversa colore
Licia circumdo, terque haec altaria circum
Effigiem duco; numero deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
Necte, Amarylli, modo, et, Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit
Uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.
Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros.

rumpere sensus. — *coniugis*, coniugis instar amati; saepius pro quovis amatore, ut h. l. et supr. v. 18. — *nisi carmina desunt*. via maior, magica scilicet, cui non resisti potest, adhibenda est.

v. 69. *coelo deducere Lunam*. ceperat priscae aetatis homines superstitio, Lunam, cum illa deficeret vel deliquium pateretur, carminibus magicis e coelo in terram deductam esse, et hoc permovit superstitiosos homines, ut Lunae laboranti cymbalorum, pelvium et aliorum instrumentorum tinnitu succurrerent eiusque labores sic compesci posse opinarentur.

v. 71. *Frigidus*, anguium enim sanguis est frigidus. — *cantando* sc. carmina magica, pro: incantationibus; *rumpitur*, pro: dirumpitur, ut sic tollatur, quod anguis intentant, vitae periculum.

v. 73—81. Venefica Daphnidis imagunculam manibus tractat, eamque tribus diversi coloris filis vincire iubet administram suam Amaryllidem, ideo, ut illa sic portata circa aram, diis inferis sacram, vim magicam exserat vel exerceat, et Daphniden, ad se retractum, sistat.

v. 75. *deus*, Hecate; certe *deus* passim pro: dea; sic *deus* de Venere apud Virg. Aen. II, 632. et de Alecto apud eundem Aen. VII, 498. — *numero impare*, ternario scilicet.

v. 78. *modo*, sine mora.

v. 80—81. *Limus ut hic* cett. ergo duae fuerunt imagunculae Daphnidis, quae votis veneficae responderent; altera ex cera, ut amor, sicut cera, liquesceret; altera ex limo, ut amor, sicut limus vel argilla, ad ignem durescerpt et firmior redderetur.

v. 81. *uno eodem*. per contractionem.

v. 82. *bitumine* (*Erdpech*), quo

Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Talis amor Daphnin, qualis, quum fessa iuvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva
Perdita nec serae meminit decedere nocti,
Talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora cara sui, quae nunc ego limine in ipso,
Terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnin.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Moeris; nascuntur plurima Ponto.
His ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerin, saepe animas imis excire sepulcris
Atque satas alio vidi traducere messes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput iace; ne respexeris. His ego Daphnin

flamma exsurgeret auctior et crepitantior. — *fragiles lauros*, ego accipio pro *aridos* lauri ramos, qui et franguntur facilius et repente ignem concipiunt propagantque.

v. 83. *in Daphnide*, contra Daphnidem, *ut*, sicut laurus igni, ita Daphnis amoris nostri flamma consumatur.

v. 87. *propter*, pro iuxta, prope, ut saepe; Virgilio obversatus videtur Lucretius II, 30. *prostrati in gramine molli Propter aquae rivum, sub ramis arboris altae.*

v. 88. *Perdita*, perdite libidinis aestu agitata.

v. 91. *Has exuvias*, intellige vestimenti quoddam genus, quod exutum Daphnis pignus sui reliquerat; id sub limine, quod domum introeuntibus transcendi debebat, conditum vim pristinum dicti vestimenti possessorem retrahendi habere putabatur.

v. 95. *haec Pont. m. l. venena. Ponti venena*, quae tractavit Medea, referebantur ad praesentissima, vel efficacissima. — *mihi*, in meam gratiam, ut ego illas in usum veneficii verterem.

v. 99. *satas messes alio traducere.* ad superstitionem de vi magica pertinebat etiam hoc, ut per illam alter ex alterius agro fruges in suum se traducere posse somniaret.

v. 101. *Fer cineres*, scilicet ex

Adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnin.
Adspice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit?
Nescio quid — certe est, et Hylax in limine latrat.
Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
Parcite, ab urbe venit, iam parcite carmina, Daphnis.

ECLOGA IX.

M O E R I S.

LYCIDAS. MOERIS.

LYCIDAS.

Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?

ignis, quem incantationis causa alerent veneficae, collecto cinere. — *rivoque fluenti*, in fluentem rivum.

v. 103. *nihil ille deos, nil carm. curat*, nam Daphnis et deos et carmina susque deque habet; in Daphnidem neque deus aliquis neque carmina vim aliquam habent. Mutata distinctione locum sequentem ita interpretor: *Bonum sit?* num fortasse id habendum sit pro bono omine? Venefica simul audire sibi videtur pedum pulsum et strepitum advenientis. *Nescio quid!* scil. audio, ait; *certe est* scil. Daphnis.

v. 108. *an, qui amant.* vocalis longa sequente brevi nonnunquam haud absorbetur, sed corripitur.

ECLOGA IX.

Agitur in hac Ecloga de re, cuius iam mentio facta est in Eclog. I. (vide ibi *Argum.*), scilicet de tristi illa sorte, qua Cremonensium et Mantuanorum possessiones veteranis Augusti militibus assignatae essent. Virgilius, ut ex prima Ecloga intelligitur, Romam profectus et summum ibi Augusti favorem atque gratiam expertus, Moerin, donec abesset, agrorum suorum administrum constituerat. Hic, dum in Virgilii absentia ad gratiam apud novum dominum colligendam haedulos aliquot Mantuam deportandos curat, in via incidit in Lycidam, quocum ut vetere amico et vitae pastoritiae socio de praesente rerum publicarum statu familiariter sermones miscet, praecipue de Virgilio, qui nunc tecte et simulanter vocatur *Menalcas*. Is igitur, qui ut aeternae gloriae poeta Augusto erat longe carissimus et, cuius possessionibus in publica calamitate par-

MOERIS.

O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri,
Quod nunquam veriti sumus, ut possessor agelli
Diceret: Haec mea sunt; veteres migrate coloni.
Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat,
Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus haedos.

LYCIDAS.

Certe equidem audieram, qua se subducere colles
Incipiunt mollique iugum demittere clivo,
Usque ad aquam et veteres, iam fracta cacumina, fagos
Omnia carminibus vestrum servasse Menalcan.

ceretur, dignissimus, largam, de quo Moeris et Lycidas inter eundum confabularentur, suppeditabat materiam. Ante omnia autem in hac Ecloga lectoris animum demulcent quatuor carminum Menalcae h. e. Virgilii particulae, quas Moeris et Lycidas in medium proferunt. Ex his Virgilius, ut leo ex unguibus, cognosci potest.

v. 1. *Quo te pedes* sc. ducunt, quo tendis? nos: *wohinaus?*

v. 2. *o Lycida.* o emissa, quam dolor exprimit, vox, ut *ah!* sic *o me miserum, o me infelicem.* — *vivi pervenimus*, experti tandem sumus, quae vitam nostram maneret, sortem hanc, ut cett. nos: *so haben wir es doch erleben müssen!* — *advena* cett. *ut possessor agelli nostri advena*, ex remotis vel peregrinis locis huc delatus, *diceret* cett.

v. 5. *quoniam Fors omnia versat.* Horat. Od. I, 35, 2 seqq. de Fortunae potentia et mutabili eius ingenio: *Praesens vel imo tollere de gradu Mortale corpus, vel superbos Vertere funeribus triumphos.* — *victi*, potentiae peregrini domini subiecti.

v. 6. *quod nec bene vertat*, nos: *was schlecht bekommen mag.* Res *bene* vel *male vertat*, est formula vel bona apprecandi vel mala imprecandi; Grammatici, ut stet ratio grammatica, ad *vertat* supplent: se; sed formula: *bene* aut *male vertat*, impersonaliter vel absolute ponitur pro: bene vel male res aliqua *cedat*; possis quoque explicare: Fors vel deus aliquid bene aut male vertat.

v. 7—8. *qua se subducere* cett. elegantissima descriptio collis, qui pensim sensimque decrescit (*demittitur*) et in planitiem desinit. — *se subducere*, sc. oculis vel conspectui. — *mollis clivus*, qui ob leniorem declivitatem mollior quasi fit tam descendentibus quam ascendentibus. — *ad aquam*, intellige flumen Mincium.

v. 9. *iam fracta cac. fag.* arborum cacumina iam fracta et arida, eas vetustas et annosas esse, sunt indicio.

v. 10. *vestrum*, quem vos in deliciis habetis, *Menalcan*, Virgilium.

MOERIS.

Audieras, et fama fuit; sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt, aquila veniente, columbas.
Quod nisi me quacunque novas incidere lites
Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix,
Nec tuus hic Moeris, nec viveret ipse Menalcas.

LYCIDAS.

Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
Paene simul tecum solatia rapta, Menalca!
Quis caneret Nymphas? quis humum floribus herbis
Spargeret, aut viridi fontes induceret umbra?
Vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,
Quum te ad delicias ferres, Amaryllida, nostras?
„Tityre, dum redeo (brevis est via), pasce capellas,
„Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
„Occursare capro, cornu ferit ille, caveto."

MOERIS.

Imo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:

v. 13. *Chaonias columbas dicunt*, sc. valere; *columbae Chaoniae*, Epiroticae, quae in silva Dodonaea Epiri oracula edidisse dicuntur. *Chaonia*, regio Epiri.

v. 14. *quacunque*, sc. ratione; ergo prudenter, providenter. — *incidere*, praecidere, comprimere, e medio tollere.

v. 15. *sinistra cornix*, apposite *Cl. Wagnerus* laudat Cic. de Divin. I, 39. *cornix a sinistra facit ratum.*

v. 17. *heu, tua nobis Paene* cett. heu! una tecum, Menalca, paene nobis erepta fuissent ea, quae solatio animos nostros recrearent et delectarent, nempe dulcissima tua carmina! Quia te sublato carminibus celebraret vel veris amoenitatem, vel fontium umbracula? cett. Respexit imprimis poeta Eclog. V, 20 et 40. — *viridi fontes induceret umbra?* inversa constructio, saepius apud poetas obvia, pro vulgari: viridem umbram induceret fontibus; quis caneret, quomodo fontes cingerentur et inumbrarentur florescentibus arboribus.

v. 21. *sublegi*, clam excepi et in codicillos meos retuli.

v. 22. *nostras*, fert enim mos loquendi, ut eos, qui imprimis nobis cari sunt, *nostros* vocemus; nisi malis intelligere amorem communem.

v. 23. *Tityre*, appellat pastorem aliquem, cui vulgare apud pastores nomen *Tityri* dat; ceterum hunc et duos sequentes apud Theocrit. Idyll. III, 3—5. versus lati-

„Vare, tuum nomen (superet modo Mantua nobis,
„Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae!)
„Cantantes sublime ferent ad sidera cycni."

LYCIDAS.

Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos;
Sic cytiso pastae distendant ubera vaccae:
Incipe, si quid habes. Et me fecere poetam
Pierides; sunt et mihi carmina; me quoque dicunt
Vatem pastores: sed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc Vario videor nec dicere Cinna
Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

nitate donavit Virgilius. — De *Varo* vid. supr. in *Argum.* et *Heynium* in *Excurs.* ad Eclog. VI.

v. 27. *superet modo*, superstes modo et nostra maneat Mantua, vel: modo ne Mantuani agri cedendi sint novis et peregrinis possessoribus.

v. 28. *Mant. vae mis. vic. Cremonae*, scilicet, ut *Heynius* ad h. l. observat, „cum Cremonensium, qui Cassii et Bruti partes secuti fuerant, agri militum numero, cui assignati erant, non sufficerent, proximi agri Mantuani additi sunt, licet Mantua in Augusti partibus fuisset. vid. *Vita Virg.* a. 712."

v. 29. *Cantantes subl. f. ad sid. cycni*, carminibus celebrabunt poetae. *Poetae* a dulcissimo cycnorum cantu vocantur *cycni*. Sic Pindarus apud Horatium Od. IV, 2, 25. dicitur *cycnus Dircaeus* (Thebanus, a fonte *Dirce* in Boeotia). Ceterum haec poetarum designatio vel eorum cum cycnis comparatio iam multo est opportunior et rei convenientior, quia in flumine Mincio magna cycnorum fuit copia. Virg. Georg. II, 199. — Distinguendi autem sunt, ut iam supra monuimus, *cycni canori* vel, ut infr. v. 36. dicuntur, *arguti* a cycnis *mutis*, quos nostra terra alit. — *nomen tuum sublime ferent*, tollent nomen tuum in altum, nempe ad sidera; sed possis quoque *sublime* accipere pro adverbio: *sublimiter*, ut docent exempla apud *Forcellinum*.

v. 30—31. *Sic tua* cett. obtestandi vel rogandi formula cum conditione vel promissione aliqua, ut carmine sequente v. 4. et Horat. Od. I, 3, 1. Tibull. I, 4, 1. Si mihi hoc vel illud concesseris, vel praestiteris, tum ego opto, ut cett. Incipe canere, quod in promtu habes; quod si feceris, tum fugiant apes quod infestum sit vel noceat mellificio; tum vaccae bene saturatae cytiso largam praebeant lactis copiam. — *Cyrneas*, epitheton ornans, Corsicanas. *Cyrnus*, insula Corsica.

v. 35. pro *Vario* plures Codd. exhibent *Varo*, de quo copiose egit *Heynius* in *Excursu II.* ad Bucolica; sed cum nusquam *Varus* laudetur ut poeta, recepta est lectio

MOERIS.

Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
Si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
„Huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
„Hic ver purpureum; varios hic flumina circum
„Fundit humus flores; hic candida populus antro
„Imminet, et lentae texunt umbracula vites.
„Huc ades; insani feriant sine litora fluctus."

LYCIDAS.

Quid, quae te pura solum sub nocte canentem
Audieram? numeros memini, si verba tenerem.

MOERIS.

„Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
„Ecce Dionaei processit Caesaris astrum,
„Astrum, quo segetes gauderent frugibus, et quo
„Duceret apricis in collibus uva colorem.
„Insere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes."
Omnia fert aetas, animum quoque. Saepe ego longos

Varius, nobilis Thyestae auctor, de quo vid. ad *Donati Vit. Virgilii* §. 53. — *Cinna.* de C. *Helvio Cinna* binas *Commentationes* magna eruditione scripsit *Vir Doctissimus Weichertus. Grimmae* 1822. Nos de hoc *Cinna* annotavimus quaedam ad Catull. Carm. XCV.

v. 39. *Huc ades, o Galatea* cett. hausit Virgilius, quibus prata sua rigaret, ex Theocrit. Idyll. XI, 42, 49, 63 seq. — *quis est nam ludus in undis*, scilicet ubi huc illuc aqua agitatur et vagatur, ubi illa modo accedit, modo recedit; ubi unda undam trudit et cum rauco murmure alludit.

v. 42. *lentae vites*, ut supr. Ecl. III, 38. *lenta vitis*, h. e. flexibilis, quae proclivis est non ad se erigendam, sed ad se demittendam. — *umbracula* igitur faciunt *vites*, cum sursum tractae annectuntur. — *te solum*, in solitudinis otio tuo, *pura sub nocte*, *in einer sternhellen Nacht.*

v. 47. *processit Caesaris astrum.* in ludis funebribus, memoriae Caesaris sacratis, *stella crinita*, tanquam Caesaris inter deos recepti insigne, per septem dies conspecta esse traditur. Sueton. Caes. 88. Dio XLV, 7. Iam ingeniose Caesar laudatur ut deus salutaris, agriculturae imprimis favens. Vocatur autem ille *Dionaeus*, ex *gente Iulia* scilicet prognatus, quae originem suam repetit a *Dione*, nympha marina.

v. 50. *tua*, pro: a te sata.

v. 51. *Omnia fert* (aufert) *aetas.* Platon. Epigr. XIX. Tom. I. p. 106. edit. *Iacobs.* *Αἰὼν πάντα φέρει.*

Cantando puerum memini me condere soles.
Nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Moerin
Iam fugit ipsa: lupi Moerin videre priores.
Sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas.

LYCIDAS.

Caussando nostros in longum ducis amores.
Et nunc omne tibi stratum silet aequor, et omnes,
Adspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae.
Hinc adeo media est nobis via; namque sepulcrum
Incipit apparere Bianoris. Hic, ubi densas
Agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus;
Hic haedos depone, tamen veniemus in urbem;
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque (minus via laedet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.

MOERIS.

Desine plura, puer, et, quod nunc instat, agamus;
Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

Horat. Epist. II, 2, 55. *Singula de nobis anni praedantur euntes.*

v. 54. *lupi Moerin videre priores.* si quis a lupo, non animadverso, repente in silvis opprimitur, tanto ille terrore percelli solet, ut vox faucibus haereat. Hinc ortum est proverbium: *lupus in fabula.* Si quis ab eo, de quo modo verba faciebat, hoc ipso temporis puncto praeter omnem exspectationem interpellatur, ille saepius tam graviter affici solet, ut eius vox praecludatur.

v. 56. *Caussando*, dum causas nectendo nos eludis.

v. 57. *stratum aequor*, *θάλασσα ἐστρωμένη*, ubi mare aequatis quasi et complanatis fluctibus quiete et placide fluit; sed hoc loco non de mari, sed de flumine Mincio cogitari debet; et sic *aequor* apud Virg. Aen. VIII, 89. de Tiberi: *Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis Sterneret aequor aquis.*

v. 58. *ventosi*, vento excitati, *ceciderunt*, silere coeperunt, conquieverunt.

v. 60. *Bianoris.* *Bianorem* de illustri aliquo viro vel heroe Mantuanorum cum *Heynio* accipio.

v. 62. *tamen*, refer ad suppletendam sententiam: quamvis paulisper hic morabimur.

ECLOGA X.

G A L L U S.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem:
Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
Carmina sunt dicenda. Neget quis carmina Gallo?
Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos,

ECLOGA X.

C. Cornelius Gallus iam supra a Virgilio Eclog. VI. ad summum poetarum honorem et gloriam evectus est, dum ei, ab una Musarum in Heliconem ducto, omnem Phoebi chorum assurrexisse, Linum vero, corona floribus nexa decoratum, *Gallo* fistulam senis Hesiodi obtulisse, narrat Virgilius. Quemadmodum autem complures alii poetae puellas, quas se perdite amare profitebantur, celebrarunt suis carminibus, ita Gallus habuit Lycoridem, quae exerceret et incenderet ingenium eius poeticum. Sed eadem cum perfide secuta esset novum amatorem aliquem in Gallias, illa hac perfidia Galli animum doloribus cruciavit et laceravit gravissimis. *Gallus* his doloribus perferendis est impar. Fit pastor Arcadicus, et sub antro proiectus indulget iaciendis querelis. In dolentis et querentis societatem ipsi dei, Apollo, Silvanus, Pan, ipsae denique arbores veniunt. — Ex Theocriti Idyll. I. plura sua fecit Virgilius.

v. 1. *Extremum hunc, Arethusa, laborem.* Sensus: Adspira mihi, o Arethusa, decimum et ultimum carmen ad exemplum Theocriti sive bucolicum compositurο. Secundum fabulam *Arethusa* fuit comes Dianae, quae ab *Alpheo* (fluvio Elidis) amata et eius impetu libidinoso pressa et impugnata, dum fuga eum a se avertere tentabat, a Diana mutata esse fingitur in *fontem* prope *Syracusas.* Tractavit hanc fabulam Ovidius Metam. V, 572 seqq. Hunc igitur fontem *Arethusam* prope Syracusas invocat poeta ut Nympham, quae Musae instar ei faveat. Et sic designatur Theocritus Siculus, ut supr. Eclog. IV, 1. *Siceliden Musae* et Ecl. VI, 1. *Syracosio versu.* — *Extremum laborem. labor*, uti fere nos quoque carmen aliquod vel opus, quod *elaboravimus*, appellare solemus: *eine Arbeit.*

v. 4. *Sic tibi* cett. de particula *sic*, cf. supr. ad Ecl. IX, 30. Sensus: Quodsi igitur, Arethusa, me furore tuo in dicto carmine pangendo sustentaveris, tum opto, ut haud salsa (*amara*) maris aqua intermisceatur aquis tuis dulcibus. Scilicet Arethusa, ne pollueretur Alphei aquis, subter mare vel per ouniculos subterraneos in Ortygiam, Siciliae insulam prope Syracusas, fugisse fertur in fabulis. — *Doris*, Nereidum mater fecundis-

Doris amara suam non intermisceat undam.
Incipe; sollicitos Galli dicamus amores,
Dum tenera attondent simae virgulta capellae.
Non canimus surdis; respondent omnia silvae.
Quae nemora, aut qui vos saltus habuere, puellae
Naides, indigno quum Gallus amore periret?
Nam neque Parnassi vobis iuga, nam neque Pindi
Ulla moram fecere, neque Aonie Aganippe.
Illum etiam lauri, etiam flevere myricae;
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
Maenalus, et gelidi fleverunt saxa Lycaei.
Stant et oves circum; nostri nec poenitet illas,
Nec te poeniteat pecoris, divine poeta;
Et formosus oves ad flumina pavit Adonis.
Venit et upilio; tardi venere bubulci;
Uvidus hiberna venit de glande Menalcas.

sima, pro: mari. Sic Ovid. Fast. IV, 678. *hac Hyades Dorida nocte petunt.*

v. 6. *sollicitos amores.* Notissimum est illud Ovidii: *Res est soliciti plena timoris amor.* Her. I, 12.

v. 8. *respondent omnia silvae,* omnia, quae canimus, Echo in silvis dulcissimo concentu iterat et repetit.

v. 10. *puellae Naides.* ut nympha *Arethusa* pro: Musa, ita *puellae Naides* pro: Musis.

v. 11. *nam neque Pindi.* repetita probandi et confirmandi particula *nam* hoc loco friget; malim igitur: *Nam neque Parnassi vobis iuga, tum neque Pindi Ulla moram fecere;* nam tum, cum Gallus indulgeret de Lycoridis perfidia doloribus, neque in Parnasso, neque in Pindo, neque ad fontem Aganippen in Helicone praesentes adfuistis, sed, ubi latueritis, nescimus; certe miserum Gallum vestro non recreastis solatio.

v. 15. *Maenalus* et *Lycaeus,* montes Arcadiae, Panis cultui sacri.

v. 19. *tardi bubulci,* nam tardo et lento gradu sequi solent bubulci armenta.

v. 20. *Uvidus hib. ven. de gl. Menalcas,* fuit igitur *Menalcas* subulcus, qui dicitur *uvidus,* sine dubio a subulci ministerio. Subulci enim glandes, quae suibus hieme (unde *glans hiberna*) essent pabulo, colligere debebant, unde illi vel pluvia madentes vel guttis aquae ex arboribus in quercetis decidentibus conspersi h. e. *uvidi* domum redire solebant. — Attamen neque *Heynius* neque *Wagnerus* ex hoc loco se expedire potuerunt. Nam is, qui glandes tractat easque in aqua servandas curat, vix ideo ex usu loquendi (ut pu-

Omnes, unde amor iste, rogant, tibi? Venit Apollo:
Galle, quid insanis? inquit; tua cura Lycoris
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.
Venit et agresti capitis Silvanus honore,
Florentes ferulas et grandia lilia quassans.
Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi
Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem.
Ecquis erit modus? inquit. Amor non talia curat;
Nec lacrimis crudelis Amor, nec gramina rivis,
Nec cytiso saturantur apes, nec fronde capellae.
Tristis at ille: Tamen cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus haec vestris; soli cantare periti
Arcades. O mihi tum quam molliter ossa quiescant,

tat ad h. l. *Wagnerus*) dicatur *uvidus*. At *vestimenta* aqua madentia apud Horat. Od. I, 5, 14. dicuntur *uvida*, unde, qui ea gestat, *uvidus*.

v. 21. *unde amor iste tibi?* quae tandem puella tanto amoris aestu animum tuum inflammavit?

v. 22. *tua cura*, Lycoris, quam tu deperis.

v. 24—25. *Silvanus* (Deus τῆς ὕλης) in rerum rusticarum cura, tutela et praesidio communionem quandam habet cum Pane. — *agrestis honor capitis* est sertum ex floribus agrestibus nexum vel corona. Ovid. de Art. Am. III, 392. *navali cinctus honore caput*; et sic *frontis honor populeus* apud Valer. Flacc. VI, 296. — *ferula* (apud Graecos νάρθηξ), nos: *Ferulstaude*. — *quassans*, exquisite pro gerens, gestans; nam *corona*, dum geritur in capite, inter eundum huc illuc movetur et quatitur.

v. 27. *ebulum*, nos: *Attich*. *minioque rubentem*, ex antiquo more, quo facies et simulacra minio pingi solebant; cf. supr. Eclog. VI, 22. et ibi *Heyn*.

v. 28—30. *Ecquis erit modus? inquit* cett. Sensus: Annon, ait Pan, modum quendam tenebis in fundendis de Lycoridis perfidia querelis? Crudelis enim Amor eiusmodi querelis non movetur, quemadmodum nec prata rivis, nec apes cytiso, nec capellae frondibus exsatiantur, sed plura appetere pergunt. — At Parmeno apud Terentium Eunuch. Act. I. Scen. I. v. 12. de vi amoris: *quae res in se neque consilium neque modum Habet ullum, eam consilio regere non potes*.

v. 31. *tamen cantabitis*, quamvis de futuro amoris mei fructu omnis spes vana est et irrita, tamen animum meum eriget cogitatio, vos Arcades tristem amoris mei sortem carminibus in montibus vestris celebraturos esse.

v. 33—34. *O mihi tum* cett.

Vestra meos olim si fistula dicat amores!
Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuissem
Aut custos gregis, aut maturae vinitor uvae!
Certe sive mihi Phyllis, sive esset Amyntas,
Seu quicunque furor, (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigrae violae sunt et vaccinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub vite iaceret;
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes; hic mollia prata, Lycori;
Hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque adversos detinet hostes.
Tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum!)
Alpinas, ah dura, nives et frigora Rheni
Me sine sola vides. Ah te ne frigora laedant!
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!

tum, si hoc fit, si fistula vestra amores meos canet, quam molli quiete ego sepultus fruar!

v. 35. *Atque utinam ex v. un.* Compara Theocr. Idyll. VII, 86.

v. 38. *Seu quicunque furor*, seu quicunque alius, qui amoris furorem mihi iniiceret vel qui ferventiorem me sui amatorem faceret.

v. 40. *lent. s. vit. lenta vitis* ut supr. Ecl. III, 38. ubi vid. not.

v. 43. *consumerer aevo*, elegantius pro vulgari: vitam transigerem. Observa in his duobus versibus brevem, sed elegantissimam loci amoeni adumbrationem.

v. 44—48. Fuerunt plures, qui in v. 44. pro: *me Martis*, legi mallent *te Martis*. Sed sic est et manet hic totus locus ineptus atque obscurus; bene se habet *me*, cui opponitur v. 46. *Tu*, modo hunc locum recte explicueris. Sensus: At, qui suaviter tecum in loco amoeno vivere potuissem, *nunc* (*insanus amor*) vehementissimus erga te amor (*me*) totum meum animum (*detinet*) occupatum et abstractum tenet *in duri Martis armis inter media tela atque inter adversos hostes*. Nimirum res aliqua absens ita saepe afficere potest animum, ut praesentes ei interesse videamur. — *detineri ab aliquo homine* vel *ab aliqua re* dicuntur, qui alicui homini vel alicui rei adhaerent, eique vel rei alicui toto animo addicti sunt.

v. 46. *tantum*, tantam animi levitatem, tantam perfidiam.

v. 48—49. *Ah te ne frigora* cett. locus de amoris vi et sensibus, quibus se regi et agitari patiuntur amantes, plane egregius. Dum Gallus Lycoridi exprobrat animi levitatem, en repente cogitatione, ne forte teneram Lycoridis corpus vel frigore, vel tempestatis iniquitate, vel locorum aspe-

Ibo et, Chalcidico quae sunt mihi condita versu
Carmina, pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in silvis, inter spelaea ferarum
Malle pati, tenerisque meos incidere amores
Arboribus: crescent illae; crescetis, amores.
Interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis,
Aut acres venabor apros. Non me ulla vetabunt
Frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
Iam mihi per rupes videor lucosque sonantes
Ire; libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula. — Tanquam haec sint nostri medicina furoris,
Aut deus ille malis hominum mitescere discat! —
Iam neque Hamadryades rursum nec carmina nobis
Ipsa placent; ipsae rursum concedite silvae.
Non illum nostri possunt mutare labores,

ritate male afficiatur, vehementer perturbatur atque cruciatur.

v. 50. *Chalcidico versu*, intellige versus Euphorionis, poetae Chalcidici, Chalcide scilicet, primaria urbe insulae Euboeae, nati. Virgilius igitur ad exemplum Euphorionis se composuit, et imitatione expressos versus vocavit *Chalcidicos*.

v. 51. *pastoris Siculi*, Theocriti.

v. 52. *Certum est*, certa apud me sedet sententia.

v. 53. *pati*, sc. duram sortem; sustinere mala.

v. 54. *crescent illae; crescetis, amores*, sententia mollissima et teneris amoribus aptissima; opportune *Heynius* comparat Ovid. Epist. V, 23, 24. *Et quantum trunci, tantum mea nomina crescunt. Crescite, et in titulos surgite recta meos.*

v. 55. *Maenala*, montem Arcadiae, cf. supr. v. 15. — *mixtis Nymphis*, una cum Nymphis.

v. 57. *Parthenios*, montis Parthenii in Arcadia.

v. 58. *lucosque sonantes*, vel avium cantu, vel foliorum per venti flatum strepitu, vel pastorum carminibus cett. *sonare* enim latius patet.

v. 59. *Partho — Cydonia*, epitheta ornantia, quia et Parthi et Cydones arte sagittandi excellebant. — *cornu*, arcu.

v. 62. *Hamadryades*, nymphae, ab ἅμα et δρῦς ita dictae, quia simul cum quercubus vel arboribus tam nasci quam mori vel perire putabantur.

v. 63. *concedite*, a nobis discedite, valete.

v. 64. *labores*, intellige omnia Gallo, ut infelici Lycoridis amatori, subeunda, tentanda, perferenda et exantlanda; *mutare*, leniorem et mitiorem erga me reddere; ex malevolo mutare in benevolum.

Nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,
Nec si, quum moriens alta liber aret in ulmo,
Aethiopum versemus oves sub sidere Cancri.
Omnia vincit Amor, et nos cedamus Amori.
Haec sat erit, Divae, vestrum cecinisse poetam,
Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides; vos haec facietis maxima Gallo,
Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
Quantum vere novo viridis se subiicit alnus.
Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra;
Iuniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.
Ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

v. 65 seqq. Neque si terras adire velimus, ubi frigus saevit, neque si eas, ubi solis aestus furit. *Hebrus*, notus Thraciae fluvius. — *Sithonia* pars Thraciae.

v. 67. *quum moriens*. versus venustissimus pro: cum ulmus solis aestu exarescit peritque.

v. 68. *versemus oves*, pastum ducamus.

v. 69. *vincit*, domat, compescit.

v. 70. *Haec*, sc. carmina, ad vitam pastoritiam spectantia.

v. 71. *et gracili fiscellam texit hibisco*. *Vossius* vertit: *und ein Körbchen sich webt aus schmeidigem Ibisch.*

v. 72. *facietis maxima Gallo*, tam grata reddetis Gallo, ut is illa in maximo ponat pretio.

v. 74. *se subiicit*, se attollit, in altum exsurgit; similiter fere *se submittere*; sic certe *terra flores submittere* dicitur Propert. I, 2, 9.

v. 75. *solet esse gravis umbra*, nimirum iis, qui nimis diu sub umbra strati frigus contrahunt.

Verzeichnifs einiger Werke,

welche

bei J. F. Hammerich in Altona erschienen und in allen Buchhandlungen Deutschlands zu haben sind:

Luebker, Fr., de participiis graecis latinisque commentatio. 8 mai. 1833. 8 Gr.

Laurent, J. C. M., Fasti consulares capitolini. (Insunt commentarii in numeros chronologicos Livii, Velleii, Eutropii, aliorum, et commentatio de variis urbis conditae aeris). 8 mai. 1833. 1 Thlr.

Epistolae Bentleii, Graevii, Ruhnkenii, Wyttenbachii selectae. Annotatione instruxit Director Prof. Dr. Fr. Car. Kraft. 8 mai. 1831. 1 Thlr. 12 Gr.

Epistolae Ruhnkenii ad D. Wyttenbachium, nunc primum ex autographis editae a G. L. Mahne. In Germania primum repetitae et annotatione instructae. Quibus accedunt selectae Dan. Wyttenbachii epistolae ex fasciculo tertio sumptae. Curavit Frid. Car. Kraft, theolog. et philosoph. Doctor, Ioannei Hamburg. Director et Professor. 8 mai. 1834. 1 Thlr.

Antonini, M. Aurel., Commentarii, quos ipse sibi scripsit, ad fid. cod. mss. recens. et animadvers. instruxit I. M. Schulz. Accedunt Menagii notae in Anton. adhuc ineditae. Vol. I. 8 mai. 2 Thlr. 20 Gr., auf feinem holländ. Papier mit breitem Rande 3 Thlr. 12 Gr.

Arrians Unterredungen Epiktets mit seinen Schülern; übersetzt und mit historisch-philosophischen Anmerkungen und einer kurzen Darstellung der Epiktetischen Philosophie begleitet v. J. M. Schulz. 2 Thle. gr. 8. à 1 Thlr. 2 Thlr.

Aurelius Victor de viris illustribus urbis Romae et de Caesaribus. Zum Gebrauch für Schulen, besonders für den zweiten Cursum in der lateinischen Sprache, mit fortlaufender Erklärung aller vorkommenden Redensarten und beständiger Anführung der Sprachregeln nach der gröfsern Bröderschen Grammatik. Herausgegeben von J. B. Frise. 8. 1 Thlr.

Becker, Dr. U. J. H., Geschichte der Kriege der Römer in Hispanien. 1s. Heft. Viriath und die Lusitanier. gr. 8. 1826. 14 Gr.

Brandis, C. A., Commentationum eleaticarum Xenophontis, Parmenidis, Melissi doctrina de propriis philosophorum reliquiis veterumque auctorum testimoniis exposita pars 1ma. 8. 1 Thlr.

Bredow, G. G., Handbuch der alten Geschichte, Geographie und Chronologie. 5te von D. J. G. Kunisch und D. K. O. Müller verbesserte Ausgabe. gr. 8. 1 Thlr. 18 Gr.

Dessen Untersuchungen über einzelne Gegenstände der alten Geschichte, Chronologie und Geographie. 1s Stück. gr. 8. 15 Gr.

Dessen 2s Stück, enthaltend: Gosselins Untersuchungen über die West- und Ostküste Africas. Rennels System der Geographie Herodots im gedrängten Auszuge — Vincent über den Periplus des rothen Meeres, mit Anmerkungen, nebst mehreren anderen Aufsätzen und 12 Karten. gr. 8. 4 Thlr. 12 Gr.

Cicero, M. T., Orat. pro Sexto Roscio Amerino. Rede zur Vertheidigung des Sext. Rosc. aus Ameria, übersetzt und mit erklärenden Anmerk. begleitet von H. R. Matthaei. Nebst vorgedrucktem Original. 8. 1799. 12 Gr.

Cicero, M. T., Abhandlung von dem Redner, übersetzt und erläutert von F. C. Wolff. 2te ganz von neuem umgearbeitete Auflage. gr. 8. 1830. 1 Thlr. 20 Gr.

— — Cato der Aeltere, oder Gespräch vom Greisenalter, Lälius oder Gespräch von der Freundschaft und Paradoxien. Uebers. u. erläutert von F. C. Wolff. 8. 20 Gr.

— — auserlesene Reden, übersetzt und erläutert von F. C. Wolff. 1r Band, welcher die Reden für den Sextus Roscius aus Ameria, für die Manilische Bill, gegen Lucius Sergius Catilina und für den Dichter Aulus Licinius Archias enthält. 2te sehr verb. Aufl. gr. 8. 1 Thlr. 16 Gr.

— — derselben 2r Band enthält die Reden für den Aulus Cluentius Avitus, für den Titus Annius Milo, für den Quintus Ligarius und für den König Dejotarus. gr. 8. 1 Thlr. 16 Gr.

— — derselben 3ter Band enthält die Reden gegen den Verres. 1r Bd. gr. 8. 2 Thlr.

— — derselben 4r Band enthält die Reden gegen den Verres. 2r Bd. gr. 8. 2 Thlr.

— — derselben 5r und letzter Band, enthält die Reden für den Lucius Murena, den Publius Sulla und den Cnejus Plancius. gr. 8. 1819. 1 Thlr. 20 Gr.

— — neue Sammlung auserlesener Reden, übersetzt und erläutert von F. C. Wolff. 1r Band enthält die Reden für den Publius Quintius, für den Schauspieler Quintus Roscius, für den Marcus Fontejus, für den Aulus und die drei Reden über das Ackergesetz gegen den Volkstribun P. Serv. Rullus. gr. 8. 1823. 2 Thlr.

— — neue Sammlung 2r Bd., enthält die Reden für den Cajus Rabirius, den Lucius Flaccus und für den Publius Sextus. gr. 8. 1824. 1 Thlr. 16 Gr.

— — fünf Bücher tusculanischer Untersuchungen. Uebers. mit Anmerkungen von H. D. A. Sonne. gr. 8. 1824. 1 Thlr. 12 Gr.

Dahlmann, C. F., Prof. in Göttingen, Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte. 1r Bd. gr. 8. 1821. 2 Thlr. 4 Gr.

— — desselben Werkes 2r Theil 1. Abtheilung, Herodot, aus seinem Buche sein Leben. gr. 8. 1824. 1 Thlr.

— — 2r Theil 2. Abtheilung: Beckers, A., Vorarbeiten zu einer Geschichte des zweiten punischen Krieges. gr. 8. 1824. 1 Thlr.

Franckii, I. V., Callinus sive quaestionis de origine carminis elegiaci tractatio critica. Accedunt Tyrtaei reliquiae cum prooemio et critica annotatione. 8 mai. 1 Thlr.

— — Examen criticum D. Iunii Iuvenalis vitae. 8 mai. 1820. 14 Gr.

Gürlitt, J., Dr. Theolog., archäologische Schriften. Gesammelt und mit Anmerkungen begleitet herausgegeben v. Corn. Müller. gr. 8. 1831. 2 Thlr.

Platons Republik in X Büchern, übersetzt von F. C. Wolff. 2 Bände. gr. 8. 1799. 2 Thlr.

Plutarchs Timoleon, Philopoemen, die beiden Gracchen und Brutus. Zum Schulgebrauch mit Anmerkungen und einem erklärenden Wortverzeichnifs von G. G. Bredow. 3te verbesserte Ausgabe. gr. 8. 1821. 20 Gr.

— — Timoleon, Philopoemen, die beiden Gracchen und Brutus. Uebersetzt von G. G. Bredow, 2te nach der Handschrift des Uebersetzers verbesserte Ausgabe. gr. 8. 1823. 18 Gr.